OFFICIA PROPRIA

IN USUM

DIŒCESIS TARBIENSIS et LOURDENSIS

A S. R. C. APPROBATA

ET DE MANDATO

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

DD. PETRI MARIÆ THÉAS

EPISCOPI TARBIENSIS ET LOURDENSIS

ASSENTIENTE CAPITULO ECCLESIÆ CATHEDRALIS

EDITA

PARS PRIOR



TURONIBUS

SUMPTIBUS ET TYPIS MAME

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ ET SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHORUM

TARBIEN. ET LOURDEN.

PRÆSENS calendarium redactum iuxta rubricarum codicem per *Motu proprio* Ioannis Papæ XXIII « Rubricarum instructum » approbatum, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Ioanne Papa XXIII tributarum, revisione rite peracta, recognovit ac probavit, illudque in diœcesi Tarbien. et Lourden. adhiberi concessit : servatis de cetero rubricis, præsertim quoad festa Dedicationis et Tituli ecclesiarum nec non Patronorum cuiusque loci. Quod vero spectat ad Sanctos, vel Beatos, qui neque in Romano Martyrologio descripti sunt, neque publico cultu a Sancta Sede certe decreto vel ab eadem confirmato potiuntur, viget Decretum Sacræ Congregationis diei 28 aprilis 1914, iuxta quod eos, si in locis particularibus ex immemorabili consuetudine publico ac religioso cultu honorentur, in calendario servare liceat, signo aliquo seu asterisco notatos; qua ex inscriptione eorum cultus neque approbatus neque ipsi æquipollenter beati habeantur.
Contrariis non obstantibus quibuscumque.
Die 2 februarii 1962.

HENRICUS DANTE, a secretis

L. † S. Joachim SORMANTI, Subst.

APPROBATIO

CALENDARIUM et Officia propria Diœcesis Tarbiensis et Lourdensis, opera et typis Mame excusa, cum originali a S. Rituum Congregatione reviso et approbato convenire reperimus, ideoque approbavimus, et evulgandi licentiam dedimus, prout per præsentes approbamus et licentiam damus.

Tarbæ, die 14 septembris 1962.

† PETRUS MARIA
EP. TARBIEN. ET LOURDEN.

CALENDARIUM PERPETUUM

IN USUM

DIŒCESIS TARBIENSIS ET LOURDENSIS

A S. R. C. REVISUM ET APPROBATUM
DIE 2 FEBRUARII 1962

IANUARIUS

3 S. Genovefæ Virg., III classis.

FEBRUARIUS

11 APPARITIO B. MARIÆ VIRG. IMMACULATÆ, I classis.
18 S. Mariæ Bernardæ Soubirous Virg., Diœcesis Patronæ secundariæ, II classis.
Com. S. Simeonis Ep. et Mart.

MAIUS

6 Com. S. Iustini Presb. et Conf.
8 S. Orientii Ep. et Conf., III classis.
14 S. Michaelis Garicoïts Conf., III classis.
Com. S. Bonifatii Mart.
24 Com. S. Misselini Conf.
30 S. Ioannæ de Arc Virg., Patronæ secundariæ Galliæ, II classis.
Com. S. Felicis I Papæ et Mart.

JUNIUS

3 S. Clotildis Reginæ, Viduæ, III classis.

AUGUSTUS

1 S. Severi Russitani Conf., III classis.
Com. Ss. Machabæorum Mm.
8 S. Ioannis Mariæ Vianney Conf., III classis.
Com. Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm.
16 Commemoratio S. Rochi Conf.
27 Commemoratio S. Licerii Ep. et Conf.

SEPTEMBER

8 IN NATIVITATE B. MARIÆ VIRG., PATRONÆ PRINCIPALIS DIŒC., I classis.
28 S. Exuperii Ep. et Conf., III classis.
Com. S. Wenceslai Mart.

OCTOBER

1 S. Remigii Ep. et Conf., III classis.
3 S. Teresiæ a Iesu Infante Virg., Patronæ secundariæ Galliæ, II classis.
9 Ss. Dionysii, Rustici et Eleutherii Mm., III classis.
Com. S. Ioannis Leonardi Conf.
12 S. Savini Conf., III cl.
16 S. Bertrandi Ep. et Conf., III classis.
Com. S. Hedwigis Viduæ.

NOVEMBER

6 DEDICATIO PROPRIÆ ECCLESIÆ, I classis.
20 DEDICATIO ECCLESIÆ CATHEDRALIS, I classis.

Officia præsentis Proprii aptata sunt Supplemento Breviarii pro Gallia, ad normam Decreti S. R. C. diei 29 maii 1962.

OFFICIA PROPRIA

IN USUM

DIŒCESIS TARBIENSIS ET LOURDENSIS

PARS PRIOR

FESTUM IANUARII

DIE 3 IANUARII

SANCTÆ GENOVEFÆ

VIRGINIS

III classis

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

GENOVÉFA, Nemptodúri in Parisiénsi agro nata, iam a téneris annis magna dedit exímiæ virtútis indícia. Eam, adhuc puéllulam, sanctus Germánus, Antissiodorénsis epíscopus, Deo acceptíssimam ac vitæ sanctitáte illústrem fore prædíxit. Post áliquot annos, Genovéfa a Parisiórum epíscopo in vírginem solémni ritu consecráta est. Iugi oratióne, abstinéntia vix credíbili, effúsa in ægrótos et páuperes caritáte, patiéntia inter malevolórum calúmnias semper invícta, non minus quam miraculórum dono ac multitúdine evásit celebérrima. Prophético spíritu plúrima prædíxit, atque in primis Lutétiam urbem, óppidis áliis munitióribus subvérsis, ab Hunnórum rege Attila, Gállias depopulánte, nihil detrimenti passúram. Quod ita evénit, ac Genovéfæ patrocínio datum est. Grassánte deínde fame et in summa annónæ caritáte, eándem urbem pauperésque innúmeros magna fruménti et panis cópia abúnde sustentávit. Dénique, post actos in Dei servitúte octogínta et ámplius annos, méritis cumuláta, migrávit ad Dóminum, tértio Ianuárii.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. ant. Erat timens Deum, * fáciens eleemósynas multas plebi et déprecans Deum semper.

Oratio

EFFÚNDE super nos, Dómine, spíritum agnitiónis et dilectiónis tuæ, quo ancíllam tuam Genovéfam implevísti: ut sédula eius imitatióne tibi sincére obsequéntes; fide tibi et ópere placeámus. Per Dóminum.

AD VESPERAS

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. ant. Felíci cursu longa vitæ spátia eménsa est, peregrína mundi, venerábilis pópulo, devóta Christo, allelúia.

Oratio Effúnde, ut supra.

FESTA FEBRUARII

DIE 11 FEBRUARII

IN APPARITIONE B. MARIÆ VIRG. IMMACULATÆ

I classis

Omnia de Communi festorum B. Mariæ Virg., præter ea quæ hic habentur propria.

AD I VESPERAS

Antiphona 1

CANDOR est * lucis ætérnæ, et spéculum sine mácula.

2 Múlier * amícta sole, et luna sub pédibus eius, et in cápite eius coróna stellárum duódecim.

3 Tu glória Ierúsalem, * tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri.

4 Benedícta es tu, * Virgo María, a Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super terram.

5 Hódie nomen tuum * ita magnificávit Dóminus,

ut non recédat laus tua de ore hóminum.

Capit. Cant. 2, 13-14

SURGE, amíca mea, speciósa mea, et veni, colúmba mea, in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis.

Hymnus Ave, maris stella.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ad Magnif. ant. Ista est * colúmba mea, perfécta mea, immaculáta mea.

Oratio

DEUS, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : súpplices a te quæsumus; ut eiúsdem Vírginis Apparitiónem celebrántes, salútem mentis et córporis consequámur. Per eúndem Dñm.

Et, tempore quadragesimali, fit com. feriæ.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Immaculátam Conceptiónem Vírginis Maríæ celebrémus, * Christum eius Fílium adorémus Dóminum.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

TE dícimus præcónio,
Intácta Mater Núminis,
Nostris benígna láudibus
Tuam repénde grátiam.

Sontes Adámi pósteri,
Infécta proles gígnimur;
Labis patérnæ néscia
Tu sola, Virgo, créderis.

Caput dracónis ínvidi
Tu cónteris vestígio,
Et sola glóriam refers
Intaminátæ oríginis.

O gentis humánæ decus,
Quæ tollis Hevæ oppróbrium,
Tu nos tuére súpplices,
Tu nos labántes érige.

Serpéntis antíqui potens
Astus retúnde et ímpetus,
Ut cælitum perénnibus
Per te fruámur gáudiis.

Iesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Ave, grátia plena; * Dóminus tecum.

Psalmus 8

DÓMINE, Dómine noster, quam admirábile est
nomen tuum in univérsa terra, *
qui extulísti maiestátem tuam super cælos.
Ex ore infántium et lacténtium parásti laudem
contra adversários tuos, *
ut compéscas inimícum et hostem.
Cum vídeo cælos tuos, opus digitórum tuórum, *
lunam et stellas quæ tu fundásti :
Quid est homo, quod memor es eius? *
aut fílius hóminis, quod curas de eo?
Et fecísti eum paulo minórem Angelis, *
glória et honóre coronásti eum;
Dedísti ei potestátem super ópera mánuum tuárum,*
ómnia subiecísti pédibus eius :
Oves et boves univérsos, *
ínsuper et pécora campi,
Vólucres cæli et pisces maris : *
quidquid perámbulat sémitas márium.
Dómine, Dómine noster, * quam admirábile est
nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Ave, grátia plena; Dóminus tecum.

Ant. 2 Benedícta tu inter mulíeres, * et benedíctus fructus ventris tui.

Psalmus 18

CÆLI enárrant glóriam Dei, *
et opus mánuum eius annúntiat firmaméntum.
Dies diéi effúndit verbum, *
et nox nocti tradit notítiam.
Non est verbum et non sunt sermónes, *
quorum vox non percipiátur :
In omnem terram exit sonus eórum, *
et usque ad fines orbis elóquia eórum.

Ibi pósuit soli tabernáculum suum,
qui procédit ut sponsus de thálamo suo, *
exsúltat ut gigas percúrrens viam.
A término cæli fit egréssus eius,
et circúitus eius usque ad términum cæli, *
nec quidquam subtráhitur ardóri eius.

Lex Dómini perfécta, récreans ánimam; *
præscríptum Dómini firmum, instítuens rudem;
Præcépta Dómini recta, delectántia cor; *
mandátum Dómini mundum, illústrans óculos;
Timor Dómini purus, pérmanens in ætérnum; *
iudícia Dómini vera, iusta ómnia simul,
Desiderabília super aurum et obrýzum multum *
et dulcióra melle et liquóre favi.

Etsi servus tuus atténdit illis, *
in iis custodiéndis sédulus est valde,
Erráta tamen quis animadvértit? *
a mihi occúltis munda me.
A supérbia quoque próhibe servum tuum, *
ne dominétur in me.
Tunc ínteger ero et mundus *
a delícto grandi.
Accépta sint elóquia oris mei
et meditátio cordis mei *
coram te, Dómine, Petra mea et Redémptor meus.

Ant. Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui.

Ant. 3 Ne tímeas, María, * invenísti grátiam apud Dóminum.

Psalmus 23

DÓMINI est terra et quæ replent eam, *
orbis terrárum et qui hábitant in eo.
Nam ipse super mária fundávit eum, *
et super flúmina firmávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini, *
aut quis stabit in loco sancto eius?

Innocens mánibus et mundus corde,
qui non inténdit mentem suam ad vana, *
nec cum dolo iurávit próximo suo.
Hic accípiet benedictiónem a Dómino *
et mercédem a Deo Salvatóre suo.
Hæc est generátio quæréntium eum, *
quæréntium fáciem Dei Iacob.

Attóllite, portæ, cápita vestra,
et attóllite vos, fores antíquæ, *
ut ingrediátur rex glóriæ!
« Quis est iste rex glóriæ? » *
« Dóminus fortis et potens,
Dóminus potens in prælio ».
Attóllite, portæ, cápita vestra,
et attóllite vos, fores antíquæ, *
ut ingrediátur rex glóriæ !
« Quis est iste rex glóriæ? » *
« Dóminus exercítuum :
ipse est rex glóriæ ».

Ant. Ne tímeas, María, invenísti grátiam apud Dóminum.

℣. Deus omnípotens præcínxit me virtúte.
℟. Et pósuit immaculátam viam meam.

Pater. Absol. Exáudi.
Bened. Benedictióne.

De Parábolis Salomónis

Lectio i Cap. 8, 12-17

EGO sapiéntia hábito in consílio et erudítis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum : arrogántiam et supérbiam, et viam pravam, et os bilíngue detéstor. Meum est consílium et æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, et legum conditóres iusta decérnunt; per me príncipes ímperant, et poténtes decérnunt iustítiam. Ego diligéntes me díligo; et qui mane vígilant ad me, invénient me.

℟. Sapiéntia quæ attíngit a fine usque ad finem fórtiter, et dispónit ómnia suáviter, ædificávit sibi domum : * Ecce taber-

náculum Dei cum homínibus. ℣. Vidi sanctam civitátem, Ierúsalem novam, parátam sicut sponsam ornátam viro suo. Ecce.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Cap. 8, 18-25

MECUM sunt divítiæ et glória, opes supérbæ et iustítia. Mélior est enim fructus meus auro et lápide pretióso, et genímina mea argénto elécto. In viis iustítiæ ámbulo, in médio semitárum iudícii, ut ditem diligéntes me et thesáuros eórum répleam. Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum et ex antíquis, ántequam terra fíeret. Nondum erant abýssi, et ego iam concépta eram; necdum fontes aquárum erúperant, necdum montes gravi mole constíterant; ante colles ego parturiébar.

℟. Quasi arcus refúlgens inter nébulas, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília in tránsitu aquæ, * Sic fulget Virgo immaculáta. ℣. Arcum meum ponam in núbibus, et erit signum fœderis mei vobíscum. Sic.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii

Cap. 8, 34-36 et 9, 1-5

BEÁTUS homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas cotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino; qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam. Omnes, qui me odérunt, díligunt mortem. Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem. Immolávit víctimas suas, míscuit vinum et propósuit mensam suam. Misit ancíllas suas ut vocárent ad arcem et ad mœnia civitátis : Si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est : Veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum quod míscui vobis.

℟. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni, colúmba mea : * Osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis. ℣. Vox túrturis audíta est in terra nostra. Osténde mihi. Glória Patri. Osténde mihi.

In II Nocturno

Ant. 4 Fecit mihi magna * qui potens est, et sanctum nomen eius.

Psalmus 44

EFFÚNDIT cor meum verbum bonum :
dico ego carmen meum regi; *
lingua mea stilus est scribæ velócis.

Speciósus es forma præ fíliis hóminum,
diffúsa est grátia super lábia tua : *
proptérea benedíxit tibi Deus in ætérnum.

Cinge gládium tuum super femur, potentíssime, *
decórem tuum et ornátum tuum !

Felíciter evéhere pro fide et pro iustítia, *
et præclára gesta dóceat te déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, pópuli tibi subdúntur, *
defíciunt corde inimíci regis.

Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi; *
sceptrum æquitátis sceptrum regni tui.

Díligis iustítiam et odísti iniquitátem :
proptérea unxit te Deus, Deus tuus, *
óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha et áloë et cássia fragrant vestiménta tua; *
ex ædibus ebúrneis fídium sonus lætíficat te.

Fíliæ regum óbviam véniunt tibi, *
regína adstat ad déxteram tuam
ornáta auro ex Ophir.

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam, *
et oblivíscere pópulum tuum
et domum patris tui.

Et concupíscet rex pulchritúdinem tuam : *
ipse est dóminus tuus; obséquere ei.

Et pópulus Tyri cum munéribus venit; *
favórem tuum captant próceres plebis.

Tota decóra ingréditur fília regis; *
textúræ áureæ sunt amíctus eius.

Amíctu variegáto indúta addúcitur ad regem; *
vírgines post eam, sóciæ eius, adducúntur ad te.

Afferúntur cum lætítia et exsultatióne, *
ingrediúntur in palátium regis.
Loco patrum tuórum erunt fílii tui; *
constítues eos príncipes super totam terram.
Memorábo nomen tuum
in omnem generatiónem et generatiónem; *
proptérea pópuli celebrábunt te in sæculum sæculi.

Ant. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius.

Ant. 5 Sanctificávit * tabernáculum suum Altíssimus: Deus in médio eius, non commovébitur.

Psalmus 45

DEUS est nobis refúgium et robur; *
adiutórem in angústiis probávit se valde.
Proptérea non timémus, dum subvértitur terra, *
et montes cadunt in médium mare.
Tumultuéntur, æstuent aquæ eius; *
concutiántur montes ímpetu eius:
Dóminus exercítuum nobíscum: *
præsídium nobis est Deus Iacob.
Flúminis rívuli lætíficant civitátem Dei, *
sanctíssimum tabernáculum Altíssimi.
Deus est in médio eius, non commovébitur; *
auxiliábitur ei Deus primo dilúculo.
Fremuérunt gentes, commóta sunt regna; *
intónuit voce sua, difflúxit terra:
Dóminus exercítuum nobíscum; *
præsídium nobis est Deus Iacob.
Veníte, vidéte ópera Dómini, *
quæ egit stupénda in terra.
Qui compéscit bella usque ad finem terræ, *
arcus cónterit et confríngit hastas,
et scuta combúrit igni.
Desístite, et agnóscite me Deum, *
excélsum in géntibus, excélsum in terra.
Dóminus exercítuum nobíscum: *
præsídium nobis est Deus Iacob.

Ant. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus : Deus in médio eius, non commovébitur.

Ant. 6 Dóminus possédit te * in inítio viárum suárum, et in caritáte perpétua diléxit te.

Psalmus 86

FUNDATIÓNEM suam in móntibus sanctis díligit Dóminus : *
portas Sion magis quam ómnia tabernácula Iacob.
Gloriósa prædicántur de te, *
cívitas Dei !
Accensébo Rahab et Babel coléntibus me : *
ecce, Philistæa et Tyrus populúsque Æthíopum : hi nati sunt illic.
Et de Sion dicétur : « Virítim omnes sunt nati in ea, *
et ipse firmávit eam Excélsus ».
Dóminus scribet in libro populórum : *
« Hi nati sunt illic ».
Et cantábunt, dum chorum ducent : *
« Omnes fontes mei sunt in te ».

Ant. Dóminus possédit te in inítio viárum suárum, et in caritáte perpétua diléxit te.

℣. Adiuvábit eam Deus cultu suo.
℟. Deus in médio eius, non commovébitur.

Pater. Absol. Ipsíus píetas.
Bened. Deus Pater.

Lectio iv

ANNO quarto a dogmática definitióne de immaculáto beátæ Vírginis Concéptu, ad Gavi flúminis oram prope óppidum Lourdes diœcésis Tarbiénsis in Gállia, ipsa Virgo in rupis sinu super specum Massabiélle puéllæ cuídam, vernácula lingua Bernadétte nuncupátæ, paupérrimæ quidem sed ingénuæ ac piæ, plúries se conspiciéndam óbtulit. Immaculáta Virgo iuveníli ac benígno videbátur aspéctu, nívea veste niveóque pállio contécta, ac zona cærúlea succíncta; nudos pedes áurea rosa ornábat. Primo apparitiónis die, qui fuit undécimus februárii anno millésimo octingentésimo quinquagésimo octá-

vo, puéllam signum crucis rite piéque faciéndum edócuit, atque ad sacri rosárii recitatiónem, exémplo suo, corónam, quæ prius ex brácchio demíssa pendébat, manu advólvens, excitávit : quod in céteris étiam apparitiónibus præstitit. Altero autem apparitiónis die, puélla in simplicitáte cordis sui, diabólicam fraudem timens, lustrálem aquam in Vírginem effúdit; sed beáta Virgo, léniter arrídens, benigniórem illi vultum osténdit. Cum vero tértio apparuísset, puéllam ad specum per quíndecim dies invitávit. Exínde eam sæpius est allocúta, ac pro peccatóribus oráre, terram deosculári, pœnitentiámque ágere est hortáta; deínde imperávit, ut sacerdótibus edíceret, ædificándum ibi esse sacéllum, solemnísque supplicatiónis more illo accedéndum. Mandávit ínsuper ut e fonte, qui sub aréna adhuc latébat sed mox erat eruptúrus, aquam bíberet, eáque se abstérgeret. Dénique die festo Annuntiatiónis, percontánti enixe puéllæ illíus nomen, cuius aspéctu tóties dignáta fúerat, Virgo, admótis péctori mánibus elatísque in cælum óculis, respóndit : Immaculáta Concéptio ego sum.

℟. Quæ est ista, quæ prográditur quasi auróra consúrgens, * Pulchra ut luna, elécta ut sol? ℣. Ipsa est colúmba mea, perfécta mea, immaculáta mea. Pulchra.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Percrebrescénte fama beneficiórum, quæ in sacro specu recepísse fidéles dicebántur, augebátur in dies hóminum concúrsus, quos loci relígio ad specum advocábat. Itaque prodigiórum fama puellæque candóre motus Tarbiénsis epíscopus, quarto ab enarrátis anno, post iurídicam factórum inquisitiónem, supernaturáles esse apparitiónis notas sua senténtia probávit, cultúmque Vírginis immaculátæ in eódem specu permísit. Mox ædificátum sacéllum : ex illa die pene innúmeræ fidélium turbæ, voti ac supplicatiónis causa, ex Gállia, Bélgio, Itália, Hispánia ceterísque Europæ provínciis

necnon ex longínquis Américæ regiónibus quovis anno illuc advéniunt, noménque Immaculátæ de Lourdes ubíque terrárum inclarescit. Fontis aqua, in cunctas orbis partes deláta, ægris sanitátem restítuit. Orbis vero cathólicus tantórum memor benefactórum, ædes sacras mirábili ópere ibi exstrúxit. Vexílla innúmera, acceptórum beneficiórum véluti monuménta, illuc a civitátibus ac géntibus missa, ædem Vírginis miro ornátu décorant. In hac sua véluti sede immaculáta Virgo iúgiter cólitur : intérdiu quidem précibus, religióso cantu solemnibúsque áliis cæremóniis; noctu vero sacris illis supplicatiónibus, quibus infinítæ propémodum peregrinántium turbæ céreis facibúsque accénsis procédunt et laudes beátæ Vírginis cóncinunt.

℟. Erit in novíssimis diébus mons præparátus Vírgini Maríæ in vértice móntium, et elevábitur super cælos, et ibunt pópuli multi et dicent : * Veníte et ascendámus ad montem. ℣. Sicut lætántium ómnium habitátio est in te. Veníte.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Peregrinatiónes huiúsmodi fidem, frigescénte sæculo, excitásse, ánimum ad christiánam legem profiténdam addidísse, cultúmque Vírginis immaculátæ mirum in modum auxísse, ómnibus compértum est. In qua mirábili fídei professióne christiánus pópulus sacerdótes véluti duces habet, qui illuc suas plebes addúcunt. Ipsi étiam Sacrórum antístites sanctum locum frequénter ádeunt, peregrinatiónibus præsunt, solemnioribúsque festis intérsunt. Nec ádeo rarum est ipsos Románæ Ecclésiæ purpurátos patres húmili peregrinórum more accedéntes conspícere. Ipsi quoque Románi Pontífices, pro sua erga Immaculátam de Lourdes pietáte, sacram ædem donis nobilíssimis cumulárunt. Pius nonus, sacris indulgéntiis, archiconfraternitátis privilégio ac minóris Basílicæ título ipsam insignívit; ac Deíparæ imáginem ibídem cul-

tam, solémni ritu per legátum suum apostólicum in Gállia, diadémate distínctam vóluit. Leo vero décimus tértius innúmera étiam cóntulit benefícia, indulgéntias ad modum iubilæi vigésimo quinto Apparitiónis anno verténte concéssit, peregrinatiónes sua auctoritáte verbóque provéxit, ac solémnem Ecclésiæ sub título Rosárii dedicatiónem suo nómine péragi curávit. Quorum beneficiórum amplitúdinem cumulávit, cum, plúrium episcopórum rogátu, solémne festum sub título Apparitiónis beátæ Maríæ Vírginis immaculátæ, próprio Offício et própria Missa celebrándum benígne concéssit. Tandem Pius décimus Póntifex máximus pro sua erga Deíparam pietáte, ac plurimórum votis ánnuens Sacrórum antístitum, idem festum ad Ecclésiam univérsam exténdit.

℣. Prævenísti eam, Dómine, in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite eius * Corónam de lápide pretióso. ℣. Magna est glória eius in salutári tuo, glóriam et magnum decórem impónes super eam. Corónam. Glória Patri. Corónam.

In III Nocturno

Ant. 7 Manus Dómini * confortávit te, et ídeo eris benedícta in ætérnum.

Psalmus 95

CANTÁTE Dómino cánticum novum, *
cantáte Dómino, omnes terræ.
Cantáte Dómino, benedícite nómini eius, *
annuntiáte de die in diem salútem eius.
Enarráte inter gentes glóriam eius, *
in ómnibus pópulis mirabília eius.
Nam magnus est Dóminus et laudándus valde, *
timéndus magis quam omnes dii.
Nam omnes dii géntium sunt figménta; *
Dóminus autem cælos fecit.
Maiéstas et decor præcédunt eum; *
poténtia et splendor sunt in sede sancta eius.

Tribúite Dómino, famíliæ populórum,
tribúite Dómino glóriam et poténtiam; *
tribuíte Dómino glóriam nóminis eius.
Offérte sacrifícium et introíte in átria eius; *
adoráte Dóminum in ornátu sacro.
Contremísce coram eo, univérsa terra; *
dícite inter gentes : Dóminus regnat.
Stabilívit orbem, ut non moveátur : *
regit pópulos cum æquitáte.

Læténtur cæli, et exsúltet terra;
ínsonet mare et quæ illud replent; *
géstiat campus et ómnia quæ in eo sunt.
Tum gaudébunt omnes árbores silvæ
coram Dómino, quia venit, *
quia venit régere terram.
Reget orbem terrárum cum iustítia, *
et pópulos cum fidelitáte sua.

Ant. Manus Dómini confortávit te, et ídeo eris benedícta in ætérnum.

Ant. 8 Noli metúere, * non enim pro te, sed pro ómnibus hæc lex constítuta est.

Psalmus 96

DÓMINUS regnat : exsúltet terra, *
læténtur ínsulæ multæ.
Nubes et calígo circúmdant eum, *
iustítia et ius fundaméntum sunt sólii eius.
Ignis ante ipsum præcédit, *
et combúrit in circúitu inimícos eius.
Fúlgura eius collústrant orbem; *
terra videt et contremíscit.
Montes ut cera liquéscunt coram Dómino, *
coram dominatóre univérsæ terræ.
Cæli annúntiant iustítiam eius; *
et omnes pópuli vident glóriam eius.

Confundúntur omnes qui colunt sculptília
et qui gloriántur in idólis; *
ante eum se prostérnunt omnes dii.

Audit, et lætátur Sion,
et exsúltant civitátes Iuda *
propter iudícia tua, Dómine.
Nam tu, Dómine, excélsus es super omnem terram, *
summe éminens inter omnes deos.
Dóminus díligit eos, qui odérunt malum,
custódit ánimas sanctórum suórum, *
de manu impiórum éripit eos.
Lux óritur iusto, *
et rectis corde lætítia.
Lætámini, iusti, in Dómino, *
et celebráte nomen sanctum eius.

Ant. Noli metúere, non enim pro te, sed pro ómnibus hæc lex constitúta est.

Ant. 9 Benedíxit te Dóminus * in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros.

Psalmus 97

CANTÁTE Dómino cánticum novum, *
quia mirabília fecit.
Victóriam parávit ei déxtera eius, *
et brácchium sanctum eius.
Notam fecit Dóminus salútem suam; *
in conspéctu géntium revelávit iustítiam suam.
Recordátus est bonitátis et fidelitátis suæ *
in grátiam domus Israël.
Vidérunt omnes fines terræ *
salútem Dei nostri.

Exsultáte Dómino, omnes terræ, *
lætámini et gaudéte et psállite.
Psállite Dómino cum cíthara, *
cum cíthara et sónitu psaltérii,
Cum tubis et sono búccinæ : *
exsultáte in conspéctu regis Dómini.

Insonet mare et quæ illud replent, *
orbis terrárum et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudant mánibus, *
simul montes exsúltent
Coram Dómino, quia venit, *
quia venit régere terram.
Reget orbem terrárum cum iustítia *
et pópulos cum æquitáte.

Ant. Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.
℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 1, 26-31

In illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen Vírginis Mária. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis

Homil. 2 super Missus est

Lætáre, pater Adam, sed magis tu, o Heva mater, exsúlta, qui, sicut ómnium paréntes, ita ómnium fuístis peremptóres; et, quod infelícius est, prius peremptóres quam paréntes. Ambo, inquam, consolámini super fília, et tali fília; sed illa ámplius de qua malum ortum est prius, cuius oppróbrium in omnes pertransívit mulíeres. Instat namque tempus, quo iam tollátur oppróbrium, nec hábeat vir quid causétur advérsus féminam : qui útique, dum se imprudénter excusáre conarétur, crudéliter illam accusáre non cunctátus est, dicens : Múlier quam dedísti mihi, dedit mihi de ligno, et comédi. Proptérea curre, Heva, ad Máriam; curre, mater, ad fíliam; fília pro matre respóndeat : ipsa matris oppróbrium áuferat; ipsa patri pro matre satisfáciat : quia ecce si vir cécidit per féminam, iam non erígitur nisi per féminam.

℟. Tu ergo ínvoca Dóminum, lóquere Regi pro

nobis, * Et líbera nos de morte. ℣. Omnes sitiéntes, veníte ad aquas et hauriétis salútem a Dómino. Et.

Bened. Cuius festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

Lectio viii

QUID dicébas, o Adam? Múlier quam dedísti mihi, dedit mihi de ligno, et comédi. Verba malítiæ sunt hæc, quibus magis áugeas quam déleas culpam. Verúmtamen Sapiéntia vicit malítiam, cum occasiónem véniæ, quam a te Deus interrogándo elícere tentávit, sed non pótuit, in thesáuro indeficiéntis suæ pietátis invénit. Rédditur nempe fémina pro fémina, prudens pro fátua, húmilis pro supérba; quæ pro ligno mortis gustum tibi pórrigat vitæ, et pro venenóso cibo illo amaritúdinis, dulcédinem páriat fructus ætérni. Muta ergo iníquæ excusatiónis verbum in vocem gratiárum actiónis, et dic: Dómine, múlier, quam dedísti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, et comédi; et dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificásti me. Ecce enim ad hoc missus est Angelus ad Vírginem. O admirándam et omni honóre digníssimam Vírginem! O féminam singulariter venerándam, super omnes féminas admirábilem, paréntum reparatrícem, posterórum vivificatrícem!

℟. Plantávit Dóminus Deus paradísum voluptátis, produxítque lignum vitæ in médio eius: * Et flúvius egrediebátur de loco voluptátis. ℣. Emissiónes tuæ paradísus, Virgo María. Et. Glória Patri. Et.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

QUAM tibi áliam prædixísse Deus vidétur, quando ad serpéntem ait: Inimicítias ponam inter te et mulíerem? Et si adhuc dúbitas quod de María díxerit, audi quod séquitur: Ipsa cónteret caput tuum. Cui hæc serváta victória est, nisi Maríæ? Ipsa procul dúbio caput contrívit venenátum, quæ omnímodam malígni suggestiónem tam de carnis illécebra, quam de mentis supérbia dedúxit ad níhilum. Quam vero áliam Sálomon requirébat, cum dicébat: Mulíerem fortem

quis invéniet? Nóverat quippe vir sápiens huius sexus infirmitátem, frágile corpus, lúbricam mentem. Quia tamen et Deum légerat promisísse, et ita vidébat congrúere, ut qui vícerat per féminam, vincerétur per ipsam, veheménter admírans aiébat: Mulíerem fortem quis invéniet? Quod est dícere: Si ita de manu féminæ pendet et nostra ómnium salus, et innocéntiæ restitútio, et de hoste victória; fortis omníno necésse est ut provideátur, quæ ad tantum opus possit esse idónea.
Te Deum laudámus.

AD LAUDES
ET PER HORAS

Ant. 1 Candor est * lucis ætérnæ, et spéculum sine mácula.

Pss. de dominica 1° loco.

2 Múlier * amícta sole, et luna sub pédibus eius, et in cápite eius coróna stellárum duódecim.

3 Tu glória Ierúsalem, * tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri.

4 Benedícta es tu, * Virgo María, a Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super terram.

5 Hódie nomen tuum * ita magnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore hóminum.

Capit. Cant. 2, 13-14

SURGE, amíca mea, speciósa mea, et veni, colúmba mea, in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis.

Hymnus

AURÓRA soli prævia,
Felix salútis núntia,
In noctis umbra plebs tua
Te, Virgo, supplex ínvocat.

Torrens nefástis flúctibus
Cunctos trahens vorágine,
Leni resídit æquore
Cum transit Arca fœderis.

Dum torret aréscens humus,
Tu rore sola spárgeris;
Tellúre circum rórida,
Intácta sola pérmanes.

Fatále virus évomens
Attóllit anguis vérticem;
At tu dracónis túrgidum
Invícta cónteris caput.

Mater benígna, réspice
Fletus precésque súpplicum,
Et dimicántes, tártari
Victrix, tuére ab hóstibus.

Iesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. ant. Præclára salútis auróra, * ex te, Virgo María, exívit sol iustítiæ, qui visitávit nos óriens ex alto.

Oratio

DEUS, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : súpplices a te quæsumus; ut eiúsdem Vírginis Apparitiónem celebrántes, salútem mentis et córporis consequámur. Per eúndem Dóminum.

Et, tempore quadrag., fit com. feriæ.

Ad HORAS pss. de dominica, ad Primam tamen ut in festis.

AD PRIMAM

Ant. Candor est * lucis ætérnæ, et spéculum sine mácula.

In Respons. brevi ℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM

Ant. Múlier * amícta sole, et luna sub pédibus eius, et in cápite eius coróna stellárum duódecim.

Capit. Surge, ut supra 22

℟. br. Quæ est ista quæ ascéndit de desérto, * Delíciis áffluens? Quæ est ista. ℣. Innixa super diléctum suum. Delíciis áffluens. Glória Patri. Quæ est ista.

℣. Vidérunt eam fíliæ Sion. ℟. Et beatíssimam prædicavérunt.

AD SEXTAM

Ant. Tu glória Ierúsalem, * tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri.

Capit. Prov. 8, 18-19

MECUM sunt divítiæ et glória, opes supérbæ et iustítia : mélior est enim fructus meus auro et lápide pretióso.

℟. br. Ego Mater * Pulchræ dilectiónis. Ego Mater. ℣. Et timóris et agnitiónis et sanctæ spei. Pulchræ dilectiónis. Glória Patri. Ego Mater.

℣. In me omnis grátia viæ et veritátis. ℟. In me omnis spes vitæ et virtútis.

AD NONAM

Ant. Hódie nomen tuum * ita magnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore hóminum.

Capit. Eccli. 24, 25-26

IN me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini.

℟. br. Qui me invénerit * Invéniet vitam. Qui.

℣. Et háuriet salútem a Dómino. Invéniet vitam. Glória Patri. Qui.

℣. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me.

℟. Et a generatiónibus meis implémini.

Oratio ut infra 25

AD II VESPERAS

Ant. 1 Candor est * lucis ætérnæ, et spéculum sine mácula.

Pss. de Communi festorum B. Mariæ Virg.

2 Múlier * amícta sole, et luna sub pédibus eius, et in cápite eius coróna stellárum duódecim.

3 Tu glória Ierúsalem, * tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri.

4 Benedícta es tu, * Virgo María, a Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super terram.

5 Hódie nomen tuum * ita magnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore hóminum.

Capit. Cant. 2, 13-14

SURGE, amíca mea, speciósa mea, et veni, colúmba mea, in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis.

Hymnus

OMNIS expértem máculæ Maríam
Edocet summus fídei magíster;
Vírginis gaudens célebrat fidélis
Terra triúmphum.

Ipsa se præbens húmili puéllæ
Virgo spectándam, récreat pavéntem,
Seque concéptam sine labe, sancto
Prædicat ore.

O specus felix, decoráte divæ
Matris aspéctu ! veneránda rupes,
Unde vitáles scatuére pleno
Gúrgite lymphæ!

Huc catervátim pia turba nostris,
Huc ab extérnis peregrína terris
Affluit supplex, et opem poténtis
Vírginis orat.

Excipit Mater lácrimas precántum,
Donat optátam míseris salútem;
Compos hinc voti pátrias ad oras
Turba revértit.

Súpplicum, Virgo, miseráta casus,
Semper o nostros réfove labóres,
Impetrans mæstis bona sempitérnæ
Gáudia vitæ.

Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi, compar utriúsque virtus
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis ævo. Amen.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ad Magnif. ant. Hódie gloriósa cæli Regína * in terris appáruit: hódie pópulo suo verba salútis et pígnora pacis áttulit: hódie Angelórum et fidélium chori immaculátam Conceptiónem celebrántes gáudio exsúltant (allelúia).

Oratio

DEUS, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti: súpplices a te quæsumus; ut eiúsdem Vírginis Apparitiónem celebrántes, salútem mentis et córporis consequámur. Per eúndem Dóminum.

Et, tempore quadrag., fit com. feriæ.

Completorium de dominica.

DIE 18 FEBRUARII

Stæ MARIÆ BERNARDÆ SOUBIROUS

VIRGINIS, DIŒCESIS PATRONÆ SECUNDARIÆ

II classis

Omnia de Communi Virginum, præter sequentia.

Ad I Vesperas sicubi dicendæ occurrunt ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Ant. Candor lucis ætérnæ, * o María, et spéculum sine mácula, ostendísti mihi fáciem tuam : sónuit vox tua in áuribus meis.

In I Noct. lectiones De virgínibus præcéptum, de Communi 1° loco.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus piétas. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

BERNÁRDA Soubirous, vulgo Bernadette, in óppido Lourdes, Tarbiénsis diœcésis, honéstis christianísque paréntibus ortum duxit. A téneris annis pio stúdio catechésim et preces discébat eximiásque simplicitátis et innocéntiæ dotes exterióri spécie pandébat. Ineúnte anno millésimo octingentésimo quinquagésimo octávo, super specum Massabiélle puéllulæ beáta Virgo María plúries se conspiciéndam óbtulit. Rosárium illam recitáre, pro peccatóribus oráre et pœniténtiam ágere hortáta est; in ipso loco sacéllum éxstrui, solémnes fíeri supplicatiónes imperávit, fontémque sub rupe laténtem per Bernárdæ manum in plurimórum sanatiónem prodúxit; illi secréta tria commísit, quæ usque ad mortem fidéliter servávit. Demum eius nomen percontánti, cuius tam frequénti visitatióne fruebátur, Virgo respóndit : Immaculáta Concéptio ego sum. Hinc ortus in specu Massabiélle ille Deíparæ cultus Immaculátæ, eóque orbis fidéles et ecclesiárum antístites certátim convéniunt.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et iu-

stítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

NIHIL tot tantísque prodígiis ingénua Bernárdæ mutáta est simplícitas : famam, laudes et plausus hóminum sédulo devitávit, paupertáti patérnæ obláta solátia recusávit, ac demum humános mélius declinatúra conspéctus, Soróribus de Caritáte et Instructióne christiána ut discípulam primum apud Lourdes, Nivérni mox ut sodálem se óbtulit; ubi religiónis vota sub nómine Soróris Maríæ Bernárdæ nuncupávit. Sanctimoniális exémplar fidélis ab incœpto usque ad extrémum diem præ se tulit. Régulam, étiam ægrótans, nunquam sibi relaxári postulásse tráditur. Siléntii custos, latére nesciríque sollícita, ægre cum éxteris et ádvenis ex obediéntia colloquebátur, quam primum ab eis recessúra. Oratióni frequénter incúmbens, sanctíssimam Eucharístiam et domínicæ Passiónis mystéria assídue meditabátur; Immaculátam Vírginem afféctu filiáli prosecúta, eius mandáti memor, in delíciis habébat oráre pro peccatóribus, nonnúllis mirabíliter eius intercessióne ad fidem et vitam christiánam convérsis. Pro quibus et passiónes suas libénter offerébat.

℟. Dilexísti iustítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et iustítiam. Proptérea.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

BEÁTA enim Virgo cum illi dixísset : Felicitátem tibi non in terris promítto, sed in cælis; diutúrnas, quámdiu vixit, infirmitátes est perpéssa. Quibus patientíssime, lætánter immo tolerátis, ad diem dedúcta suprémum, Nivérni inter Soróres, salutatiónis angélicæ última verba ingéminans, piam ánimam efflávit die décima sexta aprílis, anno millésimo octingentésimo

septuagésimo nono, ætátis trigésimo quinto. Eius corpus in Sorórum minóre sacéllo sepúltum, semel et íterum absque corruptióne repértum, magna fidélium veneratióne cólitur; miraculísque a Deo eius interventu impetrátis, ipsíus sepúlcrum factum est gloriósum. Quibus rite probátis, Pius undécimus, Póntifex máximus, Maríam Bernárdam in Beatárum númerum rétulit anno universális Iubiláei millésimo nongentésimo vigésimo quinto. Eámque novis fulgéntem signis, idem summus Póntifex, ipso die festo Immaculátæ Conceptiónis anni præ céteris sacri, labénte undevigésimo peráctæ redemptiónis sæculo, et septuagésimo quinto anniversário Apparitiónum in Lourdes óppido, Sanctárum fastis adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ eius * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 13, 44-52

IN illo témpore : Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc : Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homilia 11 in Evangelia.

RURSUS cæléste regnum negotiatóri hómini símile dícitur, qui bonas margarítas quærit, sed unam pretiósam invénit, quam vidélicet invéntam, ómnia vendens, emit; quia, qui cæléstis vitæ dulcédinem, in quantum possibílitas admíttit, perfécte cognóverit, ea quæ in terrénis amáverat, libénter cuncta derelínquit; in comparatióne eius viléscunt ómnia, déserit hábita, congregáta dispérgit : inardéscit in cæléstibus ánimus, nihil in terrénis libet : defórme conspícitur, quidquid de terrénæ rei

placébat spécie, quia sola pretiósæ margarítæ cláritas fulget in mente.

℟. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum : * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Et.

Bened. Cuius festum.

Lectio viii

Rursus símile esse regnum cælórum sagénæ in mare missæ dícitur, ex omni génere píscium congregánti, quæ impléta ad littus edúcitur, et in vasis boni pisces eligúntur, mali autem proiciúntur foras. Sancta Ecclésia sagénæ comparátur, quia et piscatóribus est commíssa, et per eam quisque ad ætérnum regnum a præséntis sæculi flúctibus tráhitur, ne in ætérnæ mortis profúndo mergátur. Quæ ex omni génere píscium cóngregat : quia ad peccatórum véniam sapiéntes et fátuos, líberos et servos, dívites et páuperes, fortes et infírmos vocat.

℟. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines, aptáte vestras lámpades. Ecce. Glória Patri. Ecce.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Quæ sagéna, scílicet Ecclésia, tunc universáliter replétur, cum in fine suo humáni géneris summa conclúditur. Quam edúcunt, et secus littus sedent : quia sicut mare sæculum, ita sæculi finem significat littus maris. In quo scílicet fine boni pisces in vasis eligúntur, mali autem proiciúntur foras : quia et elécti quique in tabernácula ætérna recipiúntur, et intérni regni luce pérdita, ad exterióres ténebras réprobi pertrahúntur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. ant. Osténdit mihi María * thesáuros incomparábiles, quos mihi se datúram in cælis repromísit.

Oratio

HUMÍLIUM, Deus, protéctor et amátor, qui fámulam tuam Maríam Bernárdam Immaculátæ Virgínis Maríæ apparitióne et allóquio recreásti : præsta, quæsumus; ut, per símplices fídei sémitas, ad tuam in cælis visiónem pervenire mereámur. Per Dóminum.

Et, tempore quadragesimali, fit com. fer.

Extra hoc tempus fit com. S. Simeonis Ep. et Mart. :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. ℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

INFIRMITÁTEM nostram réspice, omnípotens Deus : et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Simeónis Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

AD VESPERAS

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. ant. Grátias tibi ago, * Virgo Immaculáta Dei Mater, quia per ancíllam tuam, pópulo tuo verba salútis et pacis pígnora attulísti.

Et, tempore quadragesimali, fit com. feriæ.

FESTA MAII

DIE 6 MAII

SANCTI IUSTINI

PRESB. ET CONF.

COMMEMORATIO

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui, allelúia. ℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

Oratio

DEUS, qui nos beáti Iustíni Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cuius natalícia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

DIE 8 MAII

SANCTI ORIENTII

EP. ET CONF.

III classis

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

BEATÍSSIMUS Oriéntius, postquam se totum mente casta divínæ Maie-

státi devóvit, ad pontificális cáthedræ dignitátem in civitáte Auxio ascéndit. Ecclesiásticis dogmátibus appríme erudítus, commíssum sibi pópulum sacro sermóne corréxit multósque éthnicos ad fidem convértit. Témpore quo Aétius contra Gothos in Gállia pugnábat, Oriéntius apud illum functus est legatióne ut pópuli tribulatiónibus subveníret. De pátriæ liberatióne óptime méritus est, paupéribus et peregrínis réditus provídit, tribuléntium ánimos in securitátem tránstulit, vinctos e carcéribus redémit, ita ut eius tempóribus pax et secúritas in orbem terræ quasi introísse viderétur. Virtútibus et méritis cumulátus, sæculo quinto currénte ad Dóminum migrávit eiúsque cultus apud Tolósates divulgátus est.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúia.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Oriéntii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

AD VESPERAS

℣. Iustum dedúxit, ut supra.

Ad Magnif. ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum, allelúia.

DIE 14 MAII

SANCTI MICHAELIS GARICOITS

CONFESSORIS

III classis

AD MATUTINUM

Invit. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte, adorémus, allelúia.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

HANC diem lætis celebrémus hymnis,
Qua Pater clarus Míchael, adémptus
Morte Sanctórum, méruit supérni
Prǽmia regni.

Is, Dei vocem dócilis secútus,
Pauper et duro fámulus labóri
Déditus, vicit, téneris ab annis,
Aspera vitæ.

Présbyter factus, stúdio perénni
Spíritus quærens mélius charísma,
In dies summæ nova sanctitátis
Cúlmina scandit.

Rétibus multos vítii implicátos
Exuit vinclis, animásque plures
Altius duxit docuítque soli
Vívere Christo.

Quos vocat fidos óperis minístros,
Hos Deo sacris religáre votis
Curat, et flammas, quibus ipse flagrat,
Indidit illis.

Te velut matrem Míchael amábat,
Virgo; se totum tibi dedicávit;
In tua vixit posuítque prolem
Æde sacráta.

Laus tibi, simplex Deus atque trine,
Qui beas nostrum super astra Patrem;
Eius orátu, bona sempitérna
Possideámus. Amen.

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

MÍCHAEL, in pago Ibárre diœcéseos Baionénsis natus, ab infántia futúræ sanctitátis indícia præbuit. Pius iúvenis inter famulátus primum labóres, deínde in seminário disciplínas ecclesiásticas edíscens, alter Aloýsius Gonzága appellátus est. Sacérdos factus, et vicárii múnere in civitáte Cambo biénnio functus, seminárii prope Betharrám moderámen suscépit, ubi peráctis ad cognoscén-

dam Dei voluntátem exercítiis, in sanctuário vulgo a Nostra Dómina de Betharrám nuncupáto, societátem Presbyterórum Sacratíssimi Cordis Iesu fundávit, qui virtútibus præsértim obediéntiæ et caritátis, atque iuventúti christiánæ educándæ incúmberent. Per trigínta annos étiam curam gessit Filiárum a Cruce cum exímia prudéntia et sanctitáte. Ad mortem usque, fidem íntegram et contra tunc grassántes erróres Románi Pontíficis infallibilitátem própugnans, virtútes omnes, in primis mansuetúdinem, amplléctens, multifórmis grátiæ Dei munéribus, potíssime discretióne spirítuum et dono prophetíæ insignítus, tandem prídie idus maii, in festo Ascensiónis Dómini, anno millésimo octingentésimo sexagésimo tértio, ad Súperos evolávit. Quem Pius Papa undécimus Beatórum fastis adscrípsit; Pius autem duodécimus, novis fulgéntem miráculis, catálogo Sanctórum accénsuit. Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Capit. Eccli. 31, 8-9

BEÁTUS vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus

INCLITUM Christi fámulum canámus
Qui pio quondam stúdio latébat,
Sed Dei iussu modo prædicátur
Glória gentis.

Tu, fide vivens, stabilíque mente
Spem tenens firmam, penitúsque fervens
Igne cælésti, pietáte fulges
Solis ad instar.

Lúminis ductus rádiis supérni,
Et viam spectas, aliísque prudens
Sémitas monstras, quibus expediti
Pérgere possint.

Grátia nitens Dómini vocántis,
Rebus advérsis mínime reténtus,

Fortis et constans, opus inchoátum
Victor adímples.
Rectus et simplex, húmilis, fidélis,
Omnibus mitis, tibi durus uni :
Cor tuum splendet véluti figúra
Cordis Iesu.
Dígnior sed laus tribuénda Patri :
Hic fuit virgo, spátium per omne
Virgo permánsit, paritérque vita
Virgo recéssit.
Laus tibi, simplex Deus atque trine,
Qui beas nostrum super astra Patrem;
Eius orátu, bona sempitérna
Possideámus. Amen.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

Ad Bened. ant. Communicávit * Christi passiónibus gaudens, et in revelatióne glóriæ eius gaudet exsúltans, allelúia.

Oratio

DEUS, qui apostólicis virtútibus beátum Michaélem, Confessórem tuum, mirabíliter decorásti, et per eum novam in Ecclésia tua famíliam mirabílius collegísti : concéde propítius; ut, eius mónita et exémpla sectántes, ad ætérnam felicitátem perveníre mereámur. Per Dóminum.

Et fit com. S. Bonifatii Mart. :

Ant. Fíliæ Ierúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúia, allelúia.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúia. ℟. Mors Sanctórum eius, allelúia.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui beáti Bonifátii Mártyris tui solémnia cólimus, eius apud te intercessiónibus adiuvémur. Per Dñm.

AD VESPERAS

Capit. Eccli. 31, 8-9

BEÁTUS vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus

MIRUS in sanctis, tibi gloriósas
Cóntulit dotes Deus, atque, tantis
Te datis ornans, pósuit Beátos
Inter amícos.

Non semel visus, sacra dum litábas,
In Deum raptus, radiánte vultu;
Sic tuus fervens foris emicábat
Intimus ardor.

Æmulus vatum, réseras futúra,
Utque secrétis medeáre plagis,
Pérspicis mentes, pénetras profúndi
Abdita cordis.

Laus tuum mire decórat sepúlcrum :
Spíritus pravi pávidi fugántur,
Et salus, morbis dómitis, frequénter
Rédditur ægris.

O Pater, prolis patriæque tutor,
Fílios, cives précibus tuére;
Sint tibi iuncti, pateátque cunctis
Iánua cæli.

Virgo, quam nostram cólimus patrónam,
Præsta ut exémplis Patris hæreámus;
Flúctibus raptis, pia mater, almum
Pórrige ramum.

Laus tibi, simplex Deus atque trine,
Qui beas nostrum super astra Patrem;
Eius orátu, bona sempitérna
Possideámus. Amen.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

Ad Magnif. ant. Qui vícerit,* dabo ei sedére in throno meo, et non delébo nomen eius de libro vitæ, et confitébor nomen eius coram Patre meo et coram Angelis eius, allelúia.

Oratio Deus, qui apostólicis, ut supra.

DIE 24 MAII

SANCTI MISSELINI

CONFESSORIS

COMMEMORATIO

AD LAUDES

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui, allelúia.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

Oratio

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Confessóris tui Misselíni méritis et sanctitáte illustráre dignátus es : concéde, quæsumus; ut ministérii quod adimplévit copiósum fructum percípere mereámur. Per Dóminum.

DIE 30 MAII

SANCTÆ IOANNÆ DE ARC

VIRGINIS

PATRONÆ SECUNDARIÆ GALLIÆ

II classis

Omnia de Communi Virginum, præter sequentia.

AD MATUTINUM

Invit. Regem Vírginum Dóminum,
* Veníte, adorémus, allelúia.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

STAT cultrix vígilans páuperis hórtuli,
Annórum trédecim párvula, nil sciens,
Primas docta preces, præ sóciis pia,
Simplex, mitis et ínnocens.

Orántem Míchaël Angelus édocet,
Quam claræ párili lúmine vírgines,
Virtútum méritis conspícuæ simul,
Crebris allóquiis fovent.

Dum voces súperas éxcipit, éxpavet;
Sed, fidens Dómino, fórtior in dies,
Parens impériis, pro pátria libens
Castam se vovet hóstiam.

Mox dulces sócias et pátriam domum,
Et cum matre patrem iussa relínquere,
Miles facta Dei, quo vocat Angelus,
Fertur nil trépidans eques.

Qui terras státuit, glória sit Patri :
Qui gentes rédimit, glória Fílio :
Sancto Spirítui glória, qui pias
Et fortes ánimas facit. Amen.

In I Nocturno

Ant. Eleváta est * magnificéntia Ioánnæ super cælos, allelúia.

℣. Méritis et précibus beátæ Ioánnæ, allelúia.

℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo, allelúia.

Pater. Absol. Exáudi.
Bened. Benedictióne.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 51, 1-7

CONFITÉBOR tibi, Dómine Rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adiútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adiútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me : a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta : de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua iniústa.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei : * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ, allelúia.

℣. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli, quia misit me in adiutórium vobis. Et.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Cap. 51, 8-12

LAUDÁBIT usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et

non erat qui adiuváret. Respíciens eram ad adiutórium hóminum, et non erat. Memoráta sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt : quóniam éruis sustinéntes te, Dómine, et líberas eos de mánibus géntium.

℟. Ego tuli te de domo patris tui, et audíre feci tibi vocem meam : * Fuíque tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, allelúia. ℣. Feci tibi nomen grande in univérso pópulo tuo, iuxta nomen magnórum, qui sunt in terra. Fuíque.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 51, 13-17

EXALTÁSTI super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adiutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

℟. Adonái, Dómine, Deus magne et mirábilis, qui dedísti salútem in manu féminæ : * Exáudi preces servórum tuórum, allelúia. ℣. Benedíctus es, Dómine, qui non derelínquis præsuméntes de te, et de sua virtúte gloriántes humílias. Exáudi. Glória Patri. Exáudi.

In II Nocturno

Ant. Propter veritátem, * et mansuetúdinem, et iustítiam, dedúcet te mirabíliter déxtera tua, allelúia.

℣. Factus est Dóminus susceptor meus, allelúia. ℟. Et refúgium meum in die tribulatiónis, allelúia.

Pater. Absol. Ipsíus píetas. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

IOÁNNA de Arc, in óppido Domreménsi, olim diœcésis Tullénsis, nunc Sancti Deódati, conspícuis fide et morum integritáte paréntibus, orta est anno Christi millésimo quadringentésimo duodécimo. Vix trédecim annos habébat, solúmmo-

do doméstica negótia, opus rústicum, et prima rerum divinárum eleménta edócta erat, cum se a Deo elécta esse admónita est, ad Gálliam ab hóstibus liberándam, et ad prístinum regnum restituéndum. Postquam per quinque annos Míchaël Archángelus atque Catharína et Margaríta, vírgines sanctæ, quibus familiáriter utebátur, certiórem eam fecérunt, quómodo rem iussam perágeret, Deo paréndum esse rata, a præfécto Vallis Colórum pétiit, et, post nonnúllas repúlsas, obtínuit, ut viros sibi daret, qui se ad Cárolum regem dúcerent.

℟. Benedícat te Dóminus in virtúte sua, qui per te ad níhilum redégit inimícos nostros : * Ut non defíciat laus tua de ore hóminum, allelúia. ℣. Tu lætítia, tu honorificéntia pópuli nostri, quia nomen tuum ita magnificávit Dóminus. Ut.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

SUPÉRNIS mónitis obtémperans, superátis longi itíneris difficultátibus, ad Castrum Cainonénse in agro Turónico pervénit, et, Cárolo regi facta fide, se a Deo missam esse, in urbem Auréliam profécta est. Paucis diébus, terríbili ímpetu, tríplicem cladem hóstibus inflíxit, castélla expugnávit, suúmque sústulit vexíllum. Inde, postália bélica facta, in quibus mirum in modum appáruit auxílium Dei, Rhemos Cárolum duxit, ut régia consecratióne inungerétur. Nec quiescéndum esse cénsuit : sed cum a cæléstibus núntiis accepísset, se, Deo permitténte, in hóstium potestátem esse ventúram, libénti ánimo, quæ fíeri necésse esset, suscépit.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, unxérunt regem, et ascendéntes læti dixérunt : Vivat rex. * Et facta est lætítia magna in pópulo, allelúia. ℣. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum, qui per manum féminæ fecit victóriam. Et facta est.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

CAPTA Ioánna in civitáte Compéndio, et hóstibus prétio trádita,

Rothómagum mox ducta, cum ibi in ius rapta esset, quam plúrimis criminatiónibus, excépta morum castitáte, fuit obnóxia; sed ómnia pro Iesu patiénter tolerávit. Acta per corruptíssimos iúdices causa, ínnocens et mitis virgo damnáta est pœna combustiónis. Igitur sacra Eucharístia, quam támdiu desideráverat, refécta, óculis ad crucem convérsis, nomen Iesu sæpíssime ingéminans, ad cælum evolávit die trigésima maii, nondum expléto ætátis suæ anno vigésimo. Romána Ecclésia, quam semper diléxerat, et ad quam sæpius provocáverat, eam ab omni crímine vindicándam, Callísto tértio summo Pontífice, curávit. Vergénte in finem sæculo undevigésimo, Leo décimus tértius, Aurelianénsis puéllæ causam introdúci permísit. Postrémo Ioánnam de Arc sanctus Pius décimus in beatárum, Benedíctus vero décimus quintus in sanctárum Vírginum númerum rétulit.

℟. Puélla mea, noli timére, quia ego tecum sum, dicit Dóminus : * Si transíeris per ignem, flamma non nocébit ánimæ tuæ, et ego glorificábo eam, allelúia. ℣. Mittam tibi Angelum meum, et in médio flammæ laudábis nomen meum. Si. Glória Patri. Si.

In III Nocturno

Ant. Conféssio et pulchritúdo * in conspéctu eius, sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne eius, allelúia.

℣. Posuísti, Dómine, super caput eius, allelúia. ℟. Corónam de lápide pretióso, allelúia.

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 16, 24-27

In illo témpore : Dixit Iesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi

Can. 16, 17

Obeátum damnum et iactúra felix! Ditéscere nos Dóminus detriménto ánimæ

et córporis vóluit, et esse sui símiles hortátur : quia ipse in figúra Dei constitútus, usque ad mortem húmilis et obédiens factus, principátum potestátis totíus, quæ in Deo est, accépit. Sequéndus ígitur est cruce assúmpta, et passiónis suæ si non sorte, áttamen voluntáte comitándus est. Quid enim prodest occupásse mundum, et toto terrénæ potestátis dominátu ópibus sæculi incubáre, si perdénda ánima et suscipiéndum vitæ detriméntum est?

℟. Exáudiat Dóminus oratiónem puéllæ suæ, qua orávit pro nobis, ut reconciliétur nobíscum Deus : * Fac, Dómine, ut máneat Nomen sanctum tuum in terra nostra, allelúia. ℣. Réspice, Dómine, et vísita pópulum tuum, ne defíciat in eo Hóstia et Sacrifícium. Fac.

Bened. Cuius festum.

Lectio viii

QUÆ autem commutátio pro ánima, cum fúerit amíssa, quærétur? cum Angelis enim Christus áderit, reddens síngulis, ut merebúntur. Quid offerémus ad vitam? Præparátos credo terrenárum opum futúris commérciis thesáuros ambitiósos dignitátum, famæque títulos, aut véteres delegátæ nobilitátis imágines? Negánda sunt hæc ómnia, ut melióribus abundémus : et contémptu universórum Christus sequéndus est, et ætérnitas spirituálium, terrenórum est damno comparánda.

℟. Dómine, prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis : * Posuísti in cápite eius corónam de lápide pretióso, allelúia. ℣. Quia minas iúdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. Posuísti. Glória Patri. Posuísti.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

GRAVE onus infirmitáti humánæ imposúerat, ut cum sensum vitæ hómines ex vivéndi affléctu habére cœpíssent, fructum eius, qui præsens corpóribus blandiebátur, amítterent; negaréntque se sibi, id est, quod esse cœpíssent, esse se nollent : cum sensus huius exórdium ex affléctu voluntátis

habuíssent. Opus ergo erat veri ac manifésti exémpli auctoritáte, ut contra vim sensúmque iudícii, optábile fíeret præséntium damnum, lucro deínceps non ambíguo futurórum. Igitur postquam et tolléndam crucem, et perdéndam ánimam, et damno mundi commutándam vitæ ætérnitátem monúerat, convérsus ad discípulos, ait : Quosdam ex his futúros, qui gustatúri mortem non essent, donec Fílium hóminis in regni sui glória contueréntur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. 1 Ecce Ioánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat, qui loquerétur de illa verbum malum, allelúia.

Psalmi de dominica 1° loco.

2 Suscitávit eam Dóminus * et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum, allelúia.

3 Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta lorícam iustítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis, allelúia.

4 Ecce levávit * ad gentes manum suam, et ad pópulos exaltávit signum Dómini, ut fúgerent partes advérsæ, allelúia.

5 Custodívit eam * Angelus eius, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam, allelúia.

Capit. Sap. 8, 9-10

PROPÓSUI sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum : sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas et honórem apud senióres iúvenis.

Hymnus

ARMÁTA nunc ad régiam
Prodis, rogans a príncipe
Ut a Deo te pátriæ
Veníre fidat mílitem.
Statim trahens exércitum,
Arces adis et óppida,
Pavéntibus fidúciam,
Dans fórtibus constántiam.
Aureliánum líberas,
Signum ferens intérrita,
Rhemísque frons inúngitur
Regis triúmpho nóbili.

O mira Christi cáritas,
Qui te, puéllam símplicem,
Manu poténti súscitans,
Ioánna, servat pátriam!
Sit laus Patri, sit Fílio,
Sancto decus Paráclito,
Qui corda amóre sáuciat,
Vires et auget lánguidis.
Amen.

℣. Magna est glória eius in salutári tuo, allelúia.
℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eam, allelúia.

Ad Bened. ant. Stans beáta Ioánna * in médio flammæ, óculis ad crucem convérsis, sic orábat, dicens : Dómine Iesu, áccipe spíritum meum : ne státuas illis hoc peccátum! allelúia.

Oratio

DEUS, qui beátam Ioánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quæsumus, eius intercessióne; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Felicis I Papæ et Mart. :

Ant. Fíliæ Ierúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúia, allelúia.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúia. ℟. Mors Sanctórum eius, allelúia.

Oratio

GREGEM tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Felícem Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem perpétua protectióne custódi, quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Ad HORAS minores antiphona et psalmi de feria currenti.

AD TERTIAM

Capit. Propósui, ut supra ad Laudes.

℟. br. Méritis et précibus beátæ Ioánnæ, * Allelúia, allelúia. Méritis. ℣. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Méritis. ℣. Factus est Dóminus suscéptor meus, allelúia. ℟. Et refúgium meum in die tribulatiónis, allelúia.

AD SEXTAM

Capit. Sap. 8, 12

TACÉNTEM me sustinébunt, et loquéntem me respícient, et sermocinánte me plura, manus ori suo impónent.

℟. br. Factus est Dóminus suscéptor meus, * Allelúia, allelúia. Factus est. ℣. Et refúgium meum in die tribulatiónis. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Factus est.

℣. Posuísti, Dómine, super caput eius, allelúia. ℟. Corónam de lápide pretióso, allelúia.

Oratio Deus, qui beátam ut infra 45

AD NONAM

Capit. Sap. 8, 13

HABÉBO, per hanc, immortalitátem, et memóriam ætérnam his, qui post me futúri sunt, relínquam.

℟. br. Posuísti, Dómine, super caput eius, * Allelúia, allelúia. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Posuísti.

℣. Magna est glória eius in salutári tuo, allelúia. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eam, allelúia.

AD VESPERAS

Ant. 1 Ecce Ioánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum, allelúia.

Psalmi ut in Communi festorum B. Mariæ Virg.

2 Suscitávit eam Dóminus, * et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum, allelúia.

3 Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta lorícam iustítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis, allelúia.

4 Ecce levávit * ad gentes manum suam, et ad pópulos exaltávit signum Dómini, ut fúgerent partes advérsæ, allelúia.

5 Custodívit eam * Angelus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam, allelúia.

Capit. Sap. 8, 9-10

PROPÓSUI sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum : sciens, quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres iúvenis.

Hymnus

SALVE, virílis péctoris
Virgo, Patróna Gálliæ!
Torménta dira sústinens,
Christi refers imáginem.

Voces supérnas áudiens,
Iesu repléta lúmine,
Dum fata pandis pátriæ,
Silent pavéntque iúdices.

Oppréssa flammis, clámitas
Iesum, crucémque fórtiter
Ampléxa, ad Ipsum, símplicis
Instar colúmbæ, pérvolas.

Choris beátis Vírginum
Adscrípta, cives ádiuva :
Te deprecánte, síngulis
Detur coróna glóriæ.

Sit laus Patri, sit Fílio :
Sancto decus Paráclito,
Qui corda amóre sáuciat,
Vires et auget lánguidis.
Amen.

℣. Méritis et précibus beátæ Ioánnæ, allelúia.
℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo, allelúia.

Ad Magnif. ant. Ioánna, * sponsa Christi, tutrix et custos pátriæ, esto tuis fámulis murus inexpugnábilis assíduis suffrágiis, allelúia.

Oratio

DEUS, qui beátam Ioánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quæsumus, eius intercessióne ; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Complet. de dominica.

FESTUM IUNII

DIE 3 IUNII
SANCTÆ CLOTILDIS
REGINÆ, VIDUÆ
III classis

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

CLOTÍLDIS, Chilperíci regis fília, post paréntum necem a pátruo Gundobáldo, rege Burgundiónum, educáta, adhuc éthnico nupta est Clodovéo. Suscéptos ab eo líberos baptizári imperávit ; sed Francórum idólis adhæsit Clodovéus, donec in ácie Tolbiáca, ab Alemánnis fere iam profligátus, a Clotíldis Deo victóriam supplex deprecátus et adéptus est. Cui occúrrens regína, per Remígium sanctum antístitem, Clodovéum, fidem edocéri

procurávit Rhemísque gaudens baptizátum aspéxit. Mórtuo rege, Turónes ad sancti Martíni túmulum secédens, summa pietáte vitæ relíquum exégit : ibíque plena diérum migrávit ad Dóminum. Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Tu es Deus, qui facis mirabília, allelúia. ℟. Notam fecísti in pópulis virtútem tuam, allelúia.

Ad Bened. ant. Cum invocásset Clotíldis * ómnium rectórem et salvatórem Deum, convértit Deus spíritum Clodovéi regis, allelúia.

Oratio

RÉSPICE, quæsumus, Dómine, ad Francórum benígnus natiónem : et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti, per eius intercessiónem, tríbue sincérum christiánæ pietátis afféctum. Per Dóminum.

AD VESPERAS

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúia. ℟. Propterea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúia.

Ad Magnif. Ant. Manum suam * apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit, allelúia.

INDEX ALPHABETICUS

Clotildis Reginæ, Viduæ (3 *iunii*). 45
Genovefæ Virg. (3 *ianuarii*) 5
Ioannæ de Arc Virg. (30 *maii*). 38
Iustini Presb. et Conf. (6 *maii*). 30
Mariæ Virg. Immac. Apparitio (11 *febr.*). . . . 6
Mariæ Bernardæ Soubirous Virg. (18 *febr.*). . . 26
Michaelis Garicoïts Conf. (14 *maii*). 31
Misselini Conf. (24 *maii*) 36
Orientii Ep. et Conf. (8 *maii*) 30

IMPRIMÉ EN FRANCE PRINTED IN FRANCE

2878-1962. — Turonibus, typis Mame.
Dépôt légal : 4e trimestre 1962.

OFFICIA PROPRIA

IN USUM

DIŒCESIS TARBIENSIS et LOURDENSIS

A S. R. C. APPROBATA

ET DE MANDATO

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

DD. PETRI MARIÆ THÉAS

EPISCOPI TARBIENSIS ET LOURDENSIS

ASSENTIENTE CAPITULO ECCLESIÆ CATHEDRALIS

EDITA

PARS ALTERA



TURONIBUS

SUMPTIBUS ET TYPIS MAME

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ ET SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS

TYPOGRAPHORUM

OFFICIA PROPRIA

IN USUM

DIOECESIS TARBIENSIS et LOURDENSIS

A S. R. C. APPROBATA

ET DE MANDATO

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

D.D. PETRI MARIÆ THÉAS

EPISCOPI TARBIENSIS ET LOURDENSIS

ASSISTENTIBUS CAPITULO ECCLESIÆ CATHEDRALIS

EDITA

PARS ALTERA

TURONIBUS

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ ET SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS

TYPOGRAPHORUM

TARBIEN. ET LOURDEN.

PRÆSENS calendarium redactum iuxta rubricarum codicem per *Motu proprio* Ioannis Papæ XXIII « Rubricarum instructum » approbatum, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Ioanne Papa XXIII tributarum, revisione rite peracta, recognovit ac probavit, illudque in diœcesi Tarbien. et Lourden. adhiberi concessit : servatis de cetero rubricis, præsertim quoad festa Dedicationis et Tituli ecclesiarum nec non Patronorum cuiusque loci. Quod vero spectat ad Sanctos, vel Beatos, qui neque in Romano Martyrologio descripti sunt, neque publico cultu a Sancta Sede certe decreto vel ab eadem confirmato potiuntur viget Decretum Sacræ Congregationis diei 28 aprilis 1914, iuxta quod eos, si in locis particularibus ex immemorabili consuetudine publico ac religioso cultu honorentur, in calendario servare liceat, signo aliquo seu asterisco notatos; qua ex inscriptione eorum cultus neque approbatus neque ipsi æquipollenter beati habeantur.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 2 februarii 1962.

HENRICUS DANTE, a secretis.

L. † S. Ioachim SORMANTI, Subst.

APPROBATIO

CALENDARIUM et Officia propria Diœcesis Tarbien. et Lourden., opera et typis Mame excusa, cum originali a S. Rituum Congregatione reviso et approbato convenire reperimus, ideoque approbavimus, et evulgandi licentiam dedimus, prout per præsentes approbamus et licentiam damus.

Tarbæ, die 14 septembris 1962.

† PETRUS MARIA
EP. TARBIEN. ET LOURDEN.

Officia præsentis Proprii diœcesis Tarbiensis et Lourdensis aptata sunt etiam Supplemento Breviarii pro Gallia, ad normam decreti S. R. C. diei 29 maii 1962.

CALENDARIUM PERPETUUM

IN USUM

DIŒCESIS TARBIENSIS ET LOURDENSIS

A S. R. C. REVISUM ET ADPROBATUM
DIE 2 FEBRUARII 1962

IANUARIUS

3 S. Genovefæ Virg., III classis.

FEBRUARIUS

11 APPARITIO B. MARIÆ VIRG. IMMACULATÆ, I classis.
18 S. MARIÆ BERNARDÆ SOUBIROUS VIRG., Diœcesis Patronæ secundariæ, II classis.
Com. S. Simeonis Ep. et Mart.

MAIUS

6 Com. S. Iustini Presb. et Conf.
8 S. Orientii Ep. et Conf., III classis.
14 S. Michaelis Garicoïts Conf., III classis.
Com. S. Bonifatii Mart.
24 Com. S. Misselini Conf.
30 S. IOANNÆ DE ARC VIRG., Patronæ secundariæ Galliæ, II classis.
Com. S. Felicis I Papæ et Mart.

IUNIUS

3 S. Clotildis Reginæ, Viduæ, III classis.

AUGUSTUS

1 S. Severi Russitani Conf., III classis.
Com. Ss. Machabæorum Mm.
8 S. Ioannis Mariæ Vianney Conf., III classis.
Com. Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm.
16 Commemoratio S. Rochi Conf.
27 Commemoratio S. Licerii Ep. et Conf.

SEPTEMBER

8 IN NATIVITATE B. MARIÆ VIRG., PATRONÆ PRINCIPALIS DIŒC., I classis.
28 S. Exuperii Ep. et Conf., III classis.

OCTOBER

1 S. Remigii Ep. et Conf., III classis.
3 S. TERESIÆ A IESU INFANTE VIRG., Patronæ secundariæ Galliæ, II classis.
9 Ss. Dionysii, Rustici et Eleutherii Mm., III cl.
Com. S. Joannis Leonardi Conf.
12 S. Savini Conf., III classis.
16 S. Bertrandi Ep. et Conf., III classis.
Com. S. Hedwigis Viduæ.

NOVEMBER

6 DEDICATIO PROPRIÆ ECCLESIÆ, I classis.
20 DECIDATIO ECCLESIÆ CATHEDRALIS, I classis.

FESTA MAII

DIE 24 MAII

SANCTI MISSELINI

CONFESSORIS

COMMEMORATIO

AD LAUDES

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Confessóris tui Misselíni méritis et sanctitáte illustráre dignátus es : concéde, quæsumus; ut ministérii quod adimplévit copiósum fructum percípere mereámur. Per Dóminum.

DIE 30 MAII

SANCTÆ IOANNÆ DE ARC

VIRGINIS, PATRONÆ SECUNDARIÆ GALLIÆ

II classis

Omnia de Communi Virginum, præter sequentia.

AD MATUTINUM

Invit. Regem Vírginum Dóminum,
* Veníte, adorémus.
Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

STAT cultrix vígilans páuperis hórtuli,
Annórum trédecim párvula, nil sciens,
Primas docta preces, præ sóciis pia,
Simplex, mitis et ínnocens.
Orántem Míchaël Angelus édocet,
Quam claræ párili lúmine vírgines,

Virtútum méritis conspícuæ simul,
Crebris allóquiis fovent.
Dum voces súperas éxcipit, éxpavet;
Sed, fidens Dómino, fórtior in dies,
Parens impériis, pro pátria libens
Castam se vovet hóstiam.
Mox dulces sócias et pátriam domum,
Et cum matre patrem iussa relínquere,
Miles facta Dei, quo vocat Angelus,
Fertur nil trépidans eques.
Qui terras státuit, glória sit Patri :
Qui gentes rédimit, glória Fílio :
Sancto Spirítui glória, qui pias
Et fortes ánimas facit. Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Eleváta est * magnificéntia Ioánnæ super cælos.

Ant. 2 Veni, elécta mea, * et ponam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam.

Ant. 3 Accépit benedictiónem * a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo.

℣. Méritis et précibus beátæ Ioánnæ. ℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo.

Pater. Absol. Exáudi.
Bened. Benedictióne.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 51, 1-7

CONFITÉBOR tibi, Dómine Rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adiútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adiútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me : a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta : de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii,

a rege iníquo et a lingua iniústa.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei : * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli, quia misit me in adiutórium vobis. Et.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Cap. 51, 8-12

LAUDÁBIT usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adiuváret. Respíciens eram ad adiutórium hóminum, et non erat. Memoráta sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt : Quóniam éruis sustinéntes te, Dómine, et líberas eos de mánibus géntium.

℟. Ego tuli te de domo patris tui, et audíre feci tibi vocem meam : * Fuíque tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti. ℣. Feci tibi nomen grande in univérso pópulo tuo, iuxta nomen magnórum, qui sunt in terra. Fuíque.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 51, 13-17

EXALTÁSTI super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adiutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

℟. Adonái, Dómine, Deus magne et mirábilis, qui dedísti salútem in manu féminæ : * Exáudi preces servórum tuórum. ℣. Benedíctus es, Dómine, qui non derelínquis præsuméntes de te, et de sua virtúte gloriántes humílias. Exáudi. Glória Patri. Exáudi.

In II Nocturno

Ant. 4 Propter veritátem, * et mansuetúdinem, et iustítiam, dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Ant. 5 Arcum cónteret, * et confríngat arma, et scuta combúret igni.

Ant. 6 Iustítia et misericórdia * plena est déxtera tua.

℣. Factus est Dóminus suscéptor meus. ℟. Et refúgium meum in die tribulatiónis.

Pater. Absol. Ipsíus píetas.
Bened. Deus Pater.

Lectio iv

IOÁNNA de Arc, in óppido Domreménsi, olim diœcésis Tullénsis, nunc sancti Deódati, conspícuis fide et morum integritáte paréntibus, orta est anno Christi millésimo quadringentésimo duodécimo. Vix trédecim annos habébat, solúmmodo doméstica negótia, opus rústicum, et prima rerum divinárum eleménta edócta erat, cum se a Deo eléctam esse admónita est, ad Gálliam ab hóstibus liberándam, et ad prístinum regnum restituéndum. Postquam per quinque annos Míchaël Archángelus atque Catharína et Margaríta, vírgines sanctæ, quibus familiáriter utebátur, certiórem eam fecérunt, quómodo rem iussam peráageret, Deo paréndum esse rata, a præfécto Vallis Colórum pétiit, et, post nonnúllas repúlsas, obtínuit, ut viros sibi daret, qui se ad Cárolum regem dúcerent.

℟. Benedícat te Dóminus in virtúte sua, qui per te ad níhilum redégit inimícos nostros : * Ut non defíciat laus tua de ore hóminum. ℣. Tu lætítia, tu honorificéntia pópuli nostri, quia nomen tuum ita magnificávit Dóminus. Ut.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

SUPÉRNIS mónitis obtémperans, superátis longi itíneris difficultátibus, ad Castrum Cainonénse in agro Turónico pervénit, et, Cárolo regi facta fide se a Deo missam esse, in urbem Auréliam profécta est. Paucis diébus, terríbili ímpetu, tríplicem cladem hóstibus inflíxit, castélla expugnávit, suúmque sústulit vexíllum. Inde, postália bélica facta, in quibus mirum in modum appáruit auxílium Dei, Rhemos Cárolum duxit, ut régia

consecratióne inungerétur. Nec quiescéndum esse cénsuit : sed cum a cæléstibus núntiis accepísset, se, Deo permitténte, in hóstium potestátem esse ventúram, libénti ánimo, quæ fíeri necésse esset, suscépit.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, unxérunt regem, et ascendéntes læti dixérunt : Vivat rex! * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum, qui per manum féminæ fecit victóriam. Et.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

CAPTA Ioánna in civitáte Compéndio, et hóstibus prétio trádita, Rothómagum mox ducta, cum ibi in ius rapta esset, quamplúrimis criminatiónibus, excépta morum castitáte, fuit obnóxia; sed ómnia pro Iesu patiénter tolerávit. Acta per corruptíssimos iúdices causa, ínnocens et mitis virgo damnáta est pœna combustiónis. Igitur sacra Eucharístia, quam támdiu desideráverat, refécta, óculis ad crucem convérsis, nomen Iesu sæpíssime ingéminans, ad cælum evolávit die trigésima maii, nondum expléto ætátis suæ anno vigésimo. Romána Eccléesia, quam semper diléxerat, et ad quam sæpius provocáverat, eam ab omni crímine vindicándam, Cállisto tértio, summo Pontífice, curávit. Vergénte in finem sæculo undevigésimo, Leo décimus tértius Aurelianénsis puéllæ causam introdúci permísit. Postrémo Ioánnam de Arc sanctus Pius décimus in beatárum, Benedíctus vero décimus quintus in sanctárum Vírginum número rétulit.

℟. Puélla mea, noli timére, quia ego tecum sum, dicit Dóminus : * Si transíeris per ignem, flamma non nocébit ánimæ tuæ, et ego glorificábo eam. ℣. Mittam tibi Angelum meum, et in médio flammæ laudábis nomen meum. Si transíeris. Glória Patri. Si transíeris.

In III Nocturno

Ant. 7 Conféssio et pulchritúdo * in conspéctu eius, sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne eius.

Ant. 8 Annuntiavérunt * cæli iustítiam eius, et vidérunt omnes pópuli glóriam eius.

Ant. 9 Iudicávit in iustítia, * et pópulos in æquitáte.

℣. Posuísti, Dómine, super caput eius. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 16, 24-27

IN illo témpore : Dixit Iesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi

Can. 16, 17

OBEÁTUM damnum et iactúra felix! ditéscere nos Dóminus detriménto ánimæ et córporis vóluit, et esse sui símiles hortátur : quia ipse in figúra Dei constitútus, usque ad mortem húmilis et obédiens factus, principátum potestátis totíus, quæ in Deo est, accépit. Sequéndus ígitur est cruce assúmpta, et passiónis suæ si non sorte, áttamen voluntáte comitándus est. Quid enim prodest occupásse mundum, et toto terrénæ potestátis dominátu ópibus sæculi incubáre, si perdénda ánima et suscipiéndum vitæ detriméntum est?

℟. Exáudiat Dóminus oratiónem puéllæ suæ, qua orávit pro nobis, ut reconciliétur nobíscum Deus : * Fac, Dómine, ut máneat Nomen sanctum tuum in terra nostra. ℣. Réspice, Dómine, et vísita pópulum tuum, ne defíciat in eo Hóstia et Sacrifícium. Fac.

Bened. Cuius festum.

Lectio viii

QUÆ autem commutátio pro ánima, cum fúerit amíssa, quærétur? cum Angelis enim Christus áderit, reddens síngulis ut merebúntur. Quid offerémus ad vitam? Præparátos credo terrenárum

opum futúris commérciis thesáuros, ambitiósos dignitátum famǽque títulos, aut véteres delegátæ nobilitátis imágines? Negánda sunt hæc ómnia, ut melióribus abundémus : et contémptu universórum Christus sequéndus est, et ætérnitas spirituálium, terrenórum est damno comparánda.

℟. Dómine, prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis : * Posuísti in cápite eius corónam de lápide pretióso. ℣. Quia minas iúdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. Posuísti. Glória Patri. Posuísti.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

GRAVE onus infirmitáti humánæ imposúerat, ut cum sensum vitæ hómines ex vivéndi affléctu habére cœpíssent, fructum eius, qui præsens corpóribus blandiebátur, amítterent; negaréntque se sibi, id est, quod esse cœpíssent, esse se nollent : cum sensus huius exórdium ex affléctu voluntátis habuíssent. Opus ergo erat veri ac manifésti exémpli auctoritáte, ut contra vim sensúmque iudícii, optábile fíeret præséntium damnum, lucro deínceps non ambíguo futurórum. Igítur postquam et tolléndam crucem, et perdéndam ánimam, et damno mundi commutándam vitæ ætérnitátem monúerat, convérsus ad discípulos, ait : Quosdam ex his futúros, qui gustatúri mortem non essent, donec Fílium hóminis in regni sui glória contueréntur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. 1 Ecce Ioánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum.

Psalmi de dominica.

2 Suscitávit eam Dóminus, * et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum.

3 Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta lorícam iustítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis.

4 Ecce levávit * ad gentes manum suam, et ad pópulos exaltávit signum Dómini, ut fúgerent partes advérsæ.
5 Custodívit eam * Angelus eius, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam.

Capit. Sap. 8, 9-10

PROPÓSUI sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum : sciens, quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres iúvenis.

Hymnus

ARMÁTA nunc ad régiam
Prodis, rogans a príncipe
Ut a Deo te pátriæ
Veníre fidat mílitem.
Statim trahens exércitum,
Arces adis et óppida,
Pavéntibus fidúciam,
Dans fórtibus constántiam.
Aureliánum líberas,
Signum ferens intérrita,
Rhemísque frons inúngitur
Regis triúmpho nóbili.
O mira Christi cáritas
Qui te, puéllam símplicem,
Manu poténti súscitans,
Ioánna, servat pátriam!
Sit laus Patri, sit Fílio,
Sancto decus Paráclito,
Qui corda amóre sáuciat,
Vires et auget lánguidis.
Amen.

℣. Magna est glória eius in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eam.

Ad Bened. ant. Stans beáta Ioánna * in médio flammæ, óculis ad crucem convérsis, sic orábat, dicens : Dómine Iesu, áccipe spíritum meum : ne státuas illis hoc peccátum!

Oratio

DEUS, qui beátam Ioánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quæsumus, eius intercessióne; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Et fit com. S. Felicis I Papæ et Mart. :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

GREGEM tuum, Pastor ætérne, placátus inténde, et per beátum Felícem Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem perpétua protectióne custódi; quem totíus Eccléśiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Ad HORAS minores antiphona et psalmi de feria currenti.

AD TERTIAM

Capit. Propósui, ut supra ad Laudes.

℟. br. Méritis et précibus * Beátæ Ioánnæ. Méritis. ℣. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo. Beátæ Ioánnæ. Glória Patri. Méritis.

℣. Factus est Dóminus suscéptor meus. ℟. Et refúgium meum in die tribulatiónis.

AD SEXTAM

Capit. Sap. 8, 12

TACÉNTEM me sustinébunt, et loquéntem me respícient, et sermocinánte me plura, manus ori suo impónent.

℟. br. Factus est Dóminus * Suscéptor meus. Factus est. ℣. Et refúgium meum in die tribulatiónis. Suscéptor meus. Glória Patri. Factus est.

℣. Posuísti, Dómine, super caput eius. ℟. Corónam de lápide pretióso.

AD NONAM

Capit. Sap. 8, 13

TABÉBO, per hanc, immortalitátem, et memóriam ætérnam his, qui post me futúri sunt, relínquam.

℟. br. Posuísti, Dómine, * Super caput eius. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super caput eius. Glória Patri. Posuísti.

℣. Magna est glória eius in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eam.

AD VESPERAS

Ant. 1 Ecce Ioánna * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum.

Pss. ut in Communi festorum B. Mariæ Virg.

2 Suscitávit eam Dóminus, * et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum.

3 Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta lorícam iustítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis.

4 Ecce levávit * ad gentes manum suam, et ad pópulos exaltávit signum Dómini, ut fúgerent partes advérsæ.

5 Custodívit eam * Angelus eius, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam.

Capit. Sap. 8, 9-10

PROPÓSUI sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum : sciens, quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres iúvenis.

Hymnus

SALVE, virílis péctoris
Virgo, Patróna Gálliæ!
Torménta dira sústinens,
Christi refers imáginem.

Voces supérnas áudiens,
Iesu repléta lúmine,
Dum fata pandis pátriæ,
Silent pavéntque iúdices.

Oppréssa flammis, clámitas
Iesum, crucémque fórtiter
Ampléxa, ad Ipsum, símplicis
Instar colúmbæ, pérvolas.

Choris beátis Vírginum
Adscrípta, cives ádiuva :
Te deprecánte, síngulis
Detur coróna glóriæ.

Sit laus Patri, sit Fílio :
Sancto decus Paráclito,
Qui corda amóre sáuciat,
Vires et auget lánguidis.
Amen.

℣. Méritis et précibus beátæ Ioánnæ. ℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo.

Ad Magnif. ant. Ioánna, * sponsa Christi, tutrix et custos pátriæ, esto tuis fámulis murus inexpugnábilis assíduis suffrágiis.

Oratio

DEUS, qui beátam Ioánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quæsumus, eius intercessióne; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Complet. de dominica.

FESTUM IUNII

DIE 3 IUNII

SANCTÆ CLOTILDIS REGINÆ, VIDUÆ

III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

CLOTÍLDIS, Chilperíci regis fília, post paréntum necem a pátruo Gundobáldo, rege Burgundiórum, educáta, adhuc éthnico nupta est Clodovéo. Suscéptos ab eo líberos baptizári imperávit; sed Francórum idólis adhæsit Clodovéus, donec in ácie Tolbiáca, ab Alemánnis fere iam profligátus, a Clotíldis Deo victóriam supplex deprecátus et adéptus est. Cui occúrrens regína, per Remígium sanctum antístitem, Clodovéum fidem edocéri procurávit, Rhemísque gaudens baptizátum aspéxit. Mórtuo rege, Turónes ad sancti Martíni túmulum secédens, summa pietáte vitæ relíquum exégit : ibíque plena diérum migrávit ad Dóminum.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Tu es Deus, qui facis mirabília. ℟. Notam fecísti in pópulis virtútem tuam.

Ad Bened. ant. Cum invocásset Clotíldis * ómnium rectórem et salvatórem Deum, convértit Deus spíritum Clodovæi regis.

Oratio

RÉSPICE, quæsumus, Dómine, ad Francórum benígnus natiónem : et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti, per eius intercessiónem, tríbue sincérum christiánæ pietátis afféctum. Per Dóminum.

AD VESPERAS

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. Ant. Manum suam * apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

Oratio Réspice, quæsumus, ut supra.

FESTA AUGUSTI

DIE I AUGUSTI

S. SEVERI RUSSITANI CONFESSORIS

III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Ex opere De Gloria Confessorum, cc. 50-51 S. Gregorii Turonensis

Lectio iii

SANCTUS Sevérus présbyter ordinátus, nóbili stirpe progénitus erat. Nam in rure domus Sexciacénsis, quod in eius sessióne subsistébat, eclésiam ædificávit; exínde íterum inália villa áliud ædificávit templum Dei, utrúmque tamen sanctórum relíquiis communívit. Cum autem dies Domínicus advenísset, celebrátis missis uno in loco ad álium pergébat. Magna enim illi fuit virtus ac eleemósyna ita ut, sicut supérius dictum est, de dómibus suis ecclésias fáceret, ac facultátes suas in cibos páuperum erogáret. In una vero eárum, sepúlcrum suum depósuit, in quo et sepúltus est.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

CONCÉDE, quæsumus, miséricors Deus, ut, précibus sancti Confessóris tui Sevéri, in minístris tuis augeátur Spíritus grátiæ quem recepérunt; quo adiúti, gregi sibi commísso invigiláre et verbo exemplóque prodésse non desístant. Per Dóminum.

Et fit com. Ss. Machabæorum Mm. :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

FRATÉRNA nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet : quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum; et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

AD VESPERAS

℣. Iustum, ut supra.

Ad Magnif. ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Oratio Concéde, ut supra.

DIE 8 AUGUSTI

S. IOANNIS MARIÆ VIANNEY

CONFESSORIS

III classis

Omnia ut in Breviario romano hac die, præter ea, quæ hic habentur propria.

AD LAUDES

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Ipse est * diréctus divínitus in pœniténtiam gentis, et tulit abominatiónes impietátis, et in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

Oratio

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, qui sanctum Ioánnem Maríam pastoráli stúdio et iugi oratiónis ac pœniténtiæ ardóre mirábilem effecísti : da, quæsumus; ut, eius exémplo et intercessióne, ánimas fratrum lucrári Christo, et cum eis ætérnam glóriam cónsequi valeámus. Per eúndem Dóminum.

Et fit com. Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm. :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

DEUS, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Cyríaci, Largi et Smarádgi solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, quorum natalícia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur. Per Dóminum.

AD VESPERAS

℣. Iustum, ut supra.

Ad Magnif. ant. Multi credéntium veniébant, confiténtes et annuntiántes actus suos.

Oratio Omnípotens.

DIE 16 AUGUSTI

SANCTI ROCHI

CONFESSORIS

COMMEMORATIO

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Iustum, ut supra.

Oratio

PÓPULUM tuum, quæsumus, Dómine, contínua pietáte custódi : et, beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum.

DIE 27 AUGUSTI

SANCTI LICERII

EP. ET CONF.

COMMEMORATIO

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

SANCTI Confessóris tui atque Pontíficis Licérii solémnia celebrántes, te, Dómine, supplíciter exorámus; ut ipsum apud tuam cleméntiam sentiámus nobis esse patrónum, quem nobis esse patrónum, quem nobis esse grátia tua providísti salútis ætérnæ minístrum. Per Dñm.

DIE 8 SEPTEMBRIS

IN NATIVITATE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

PATRONÆ PRINCIPALIS DIŒCESIS

I classis

Omnia ut in Breviario romano, præter sequentia.

AD I VESPERAS

Omnia ut ad II, præter ant. ad Magnif.

℣. Natívitas est hódie sanctæ Maríæ Vírginis.
℟. Cujus vita ínclita cunctas illústrat ecclésias.

Ad Magnif ant. Gloriósæ * Vírginis Maríæ ortum digníssimum recolámus, quæ et Genetrícis dignitátem obtínuit, et virgináem pudicítiam non amísit.

Officium festivum in omnibus Horis.
Ad Laudes omittitur com. S. Hadriani.

DIE 28 SEPTEMBRIS

SANCTI EXUPERII

EP. ET CONF.

III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

EXUPÉRIUS Arrei, in valle Aura diœcésis Tarbiénsis iuxta traditiónem locálem natus, post óbitum sancti Sýlvii, univérso plaudénte clero et pópulo, ad Tolosánam sedem evéctus est. Doctrína, sanctitáte, sed præcípue effúsa in páuperes caritáte, dignus fuit qui inter Gallicános tunc témporis præsules primus numerétur. Tolósam a furóre Vandalórum, univérsas Gállias vastántium, liberávit. Quod réferens sanctus Hierónymus ait : Non possum absque lácrimis Tolósæ fácere mentiónem, quæ ut huc usque non rúeret, sancti epíscopi Exupérii mérita præstitérunt. Vigilántium erróres disseminántem représsit Exupérius; ecclesiásticos mores simoníaca labe infóctos felíciter expurgávit. Tandem consummáto ópere, Blagnáci, prope Tolósam, obdormívit in Dómino, anno círciter quadringentésimo décimo séptimo. Eius relíquiæ Tolósam translátæ sunt, quarum pars concéssa est Arreo, ubi sub sancti Exupérii invocatióne non ignóbile templum sui exstruxérunt concíves.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Exupérii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Et fit com. S. Wenceslai Ducis, Mart. :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Iustus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

DEUS, qui beátum Wencesláum per martýrii palmam a terréno principátu ad cæléstem glóriam transtulísti : eius précibus nos ab omni ad versitáte custódi; et eiúsdem tríbue gaudére consórtio. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti.

FESTA OCTOBRIS

DIE I OCTOBRIS

SANCTI REMIGII

EP. ET CONF.

III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

REMÍGIUS, adhuc iúvenis, ob matúras virtútes ad Rheménsem cáthedram adéptus est. Francórum gentem, quorum regem Clodovéum sibi conciliáverat, ad Christi fidem perdúxit. Nam cum Tolbiáci Alemánnis iam céderent Franci, Clodovéus, invocáto nómine Dei Clotíldis regínæ, quæ erat christiána, statim hostes fugávit. Suadénti epíscopo ut baptizarétur, respóndit rex se veréri ne pateréntur commilitónes ut deos pátrios relínqueret; sed exércitus eiúsdem fídei amplectándæ studiósum se significávit. Ipsa ergo die Natáli Dómini, paucis annis ante sæculi quinti finem, Clodovéus Rhemis, ut vidétur, baptizátus est simúlque tria mília mílitum. Exímia fuit Remígii epíscopi erga páuperes liberálitas, et cleméntia in pœniténtes singuláris : Neque enim, inquiébat, nos pósuit Dóminus ad iracúndiam, sed ad hóminum curam. Cum Ecclésiam suam septuagínta saltem annos prudénter rexísset, Rhemis obdormívit in Dómino die décima tértia ianuárii. Eius tamen memória die prima octóbris recólitur, quando sacrum ipsíus corpus fuit translátum.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Præsul Remígius * baptísmi témpora præparávit; et implétis mýsticis sacraméntis, regem cum pópulo baptizávit.

Oratio

DEUS, qui per beáti Pontíficis Remígii documénta, gentem Francórum ab idolórum vanitáte ad veritátem tui cultus veníre tribuísti : da, quæsumus; ut qui nómine christiáno gloriámur, fidem nostram dignis opéribus ostendámus. Per Dóminum.

AD VESPERAS

℣. Iustum dedúxit, ut supra.

Ad Magnif. ant. Gentem Francórum ínclitam, * simul cum rege nóbili, beátus Remígius sacro mundávit gúrgite, et Spíritus Sancti plene ditávit múnere.

Oratio Deus, qui, ut supra.

DIE 3 OCTOBRIS

SANCTÆ TERESIÆ A IESU INFANTE

VIRGINIS

GALLIÆ PATRONÆ

SECUNDARIÆ

II classis

AD MATUTINUM

Invit. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte.

Hymnus

NOMEN decúsque cóncinant
Terésiæ almæ Vírginis
Qui sancta divi párvuli
Credunt amántque múnera.

Carméli summos vértices
Patróna Mater déligit :
Terésia illuc ádvolat,
Sponsi premens vestígia.

Affláta Iesu númine
Secréta pandit grátiæ;
Magístra mundo, símplices
Infántium docet vias.

Virtútis ipsa flósculos
Olent sacráta límina,
Quæ casta virgo, ut ángelus
Immíssus e cælo, colit.

At iúbilum non éxprimit
Omnes amóris ímpetus;
Non septa magnos cláudere
Eius valent anhélitus.

Iesu, tibi sit glória,
Qui te revélas párvulis,
Cum Patre et almo Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Plácuit Deo, * qui me vocávit per grátiam suam, ut reveláret Fílium suum in me.

Pss. trium Noct. de Communi Virginum.

Ant. 2 Ipse vero * scit viam meam, et probávit me quasi aurum, quod per ignem transit.

Ant. 3 Vestígia eius * secútus est pes meus, viam eius custodívi, et non declinávi ex ea.

℣. Exsultábo et lætábor, Dómine, in misericórdia tua. ℟. Quóniam respexísti humilitátem meam.

Pater. Absol. Exáudi.

Bened. Benedictióne.

De Cánticis Canticórum

Lectio i Cap. 2, 1-6

EGO flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi : et fructus eius dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis : quia amóre lángueo. Læva eius sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

℟. Exsultábit cor meum, Deus, in salutári tuo : * Cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi, et psallam nómini Dómino Altíssimi. ℣. Veníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ. Cantábo.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Cap. 2, 10-14

EN diléctus meus lóquitur mihi : Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Iam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit : vox túrturis audíta est in terra nostra : ficus prótulit grossos suos : víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni : colúmba mea, in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis : vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

℟. Gaudens gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo : * Quia índuit me vestiméntis salútis : et induménto iustítiæ circúmdedit me quasi sponsam ornátam monílibus suis. ℣. In Deo salutáre meum,

et glória mea : Deus auxílii mei, et spes mea in Deo est. Quia.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 5, 1; 6, 1-3

VÉNIAT diléctus meus in hortum suum, et cómedat fructum pomórum suórum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa : méssui myrrham meam cum aromátibus meis : comédi favum cum melle meo : bibi vinum meum cum lacte meo : comédite, amíci, et bíbite et inebriámini, caríssimi. Diléctus meus descéndit in hortum suum ad aréolam arómatum, ut pascátur in hortis, et lília cólligat. Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Pulchra es, amíca mea, suávis et decóra sicut Ierúsalem : terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

℟. Delectáre in Dómino, et dabit tibi petitiónes cordis tui : * Et edúcet quasi lumen iustítiam tuam : et iudícium tuum tamquam merídiem. ℣. Acquiésce ígitur ei, et habéto pacem, et per hæc habébis fructus óptimos. Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Ant. 4 Iurávi tibi, * et ingréssus sum pactum tecum, ait Dóminus Deus, et facta es mihi.

Ant. 5 Ego Dóminus, * Deus tuus, docens te utília, gubérnans te in via qua ámbulas.

Ant. 6 Egréssum est * nomen tuum in gentes propter spéciem tuam, quia perfécta eras in decóre meo.

℣. Anima mea exsultábit in Dómino. ℟. Et delectábitur super salutári suo.

Pater. Absol. Ipsíus píetas. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

TERÉSIA a Iesu Infánte, Alensónii in Gállia, honéstis paréntibus, singulári et assídua erga Deum pietáte conspícuis, orta est. Inde a prima ætáte, divíno Spíritu prævénta religiósam vitam ágere cupiébat. Sério autem promísit, se nihil Deo denegatúram, quod ipse ab ea pétere vidérétur : quam promissiónem fidéliter usque ad mortem serváre satégit.

Quinto ætátis anno, matre amíssa, Dei providéntiæ se totam commísit sub vigilánti custódia amantíssimi patris, sororúmque natu maiórum : quibus magístris, Terésia ad curréndam perfectiónis viam ut gigas exsultávit. Novénnis virgínibus ex órdine sancti Benedícti Lexóviis excolénda tráditur, ibíque in rerum divinárum cognitióne excéllere visa est. Décimo ætátis anno, arcánus et gravis morbus eam diu cruciávit, a quo, prout ipsa enárrat, ope beatíssimæ Vírginis, quæ eídem subrídens appáruit, et quam sub título Dóminæ Nostræ a Victória per novendiália invocáre stúduit, divínitus fuit liberáta. Tunc, angélico fervóre repléta, ad sacrum convívium, in quo Christus súmitur, se diligentíssime præparáre curávit.

℟. Factus est Dóminus firmaméntum meum : et edúxit me in latitúdinem : * Liberávit me, quia complácui ei. ℣. Deus, qui accínxit me fortitúdine et complanávit perféctam viam meam. Liberávit me.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Ut prímitus eucharístico pane fuit refécta, insatiábilem cæléstis huius cibi famen haurire visa est : unde, velut inspiráta, Iesum rogábat, ut omnem mundánam consolatiónem in amaritúdinem sibi vérteret. Inde, tenérrimo in Christum Dóminum et in Ecclésiam amóre exæstuans, nihil antíquius hábuit quam Carmelitárum Excalceatórum órdinem íngredi, ut, sui abnegatióne suísque sacrifíciis, sacerdótibus, missionáriis, totíque Ecclésiæ opem afférret et innúmeras ánimas Iesu Christo lucrifáceret : quod iam morti próxima, apud Deum se factúram pollícita est. Propter ætátis defectum, multas ad religiósam vitam amplecténdam nacta est difficultátes, quibus tamen incredíbili ánimi fortitúdine superátis, quíndecim annos nata, Lexoviénsem Carmélum felíciter ingréssa est. Ibi mirábiles Deus in Terésiæ corde ascensiónes dispósuit, quæ, Maríæ Vírginis vitam abscónditam imitáta, quasi hortus irrí-

guus, flores ómnium virtútum germinávit, præcípue vero exímiæ in Deum et in próximum caritátis. ℟. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam : et oblivíscere pópulum tuum et domum patris tui : * Et concupíscet Rex decórem tuum, quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. ℣. Dabit cápiti tuo augménta gratiárum, et coróna ínclita próteget te. Et. Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Quo magis Altíssimo placéret, cum in sacris Scriptúris mónitum illud legísset : Si quis est párvulus, véniat ad me : párvula in spíritu esse vóluit, et inde, filiáli fidúcia, Deo, tamquam patri amantíssimo, se perpétuo trádidit. Hanc spirituális infántiæ viam, secúndum Evangélii doctrínam, álios edócuit, speciátim novítias, quas ex obediéntia ad religiosárum virtútum stúdium informándas suscépit, atque ita, apostólico zelo repléta, mundo, supérbia infláto et vanitátes diligénti, evangélicæ simplicitátis iter patefécit. Sponsus autem Iesus eam patiéndi desidério, tam in ánima, quam in córpore, pénitus inflammávit. Insuper, Dei caritátem undequáque negléctam animadvértens, summo dolóre affécta, duóbus ante óbitum annis, Dei miseréntis amóri se víctimam óbtulit. Tunc, ut ipsa refert, cæléstis ignis flamma vulneráta est : unde, caritáte consúmpta, in éxtasim rapta, ferventíssime ingéminans: Deus meus, te díligo, vigínti quátuor annos nata, die trigésima septémbris, anno millésimo octingentésimo nonagésimo séptimo, ad Sponsum evolávit. Quod autem móriens promíserat, se perénnem rosárum plúviam in terram demissúram, hoc, in cælum recépta, innúmeris miráculis reápse adimplévit et in dies adímplet. Quam Pius undécimus, Póntifex máximus, beátis Virgínibus adscríptam, et biénnio post, iubilæo máximo recurrénte, inter sanctas relátam peculiárem ómnium Missiónum Patrónam constítuit ac declarávit.

℟. Dómine, quid mihi est in cælo? et a te quid vólui super terram? Defécit

caro mea et cor meum : * Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum. ℣. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea : quóniam dedísti mihi protectiónem salútis tuæ, et déxtera tua suscépit me. Deus. Glória Patri. Deus.

In III Nocturno

Ant. 7 Signa et mirabília * fecit apud me Deus excélsus : et Altíssimo benedíxi, et vivéntem in sempitérnum laudávi et glorificávi.

Ant. 8 Absit autem a me, * ut cessem oráre pro vobis; et docébo vos viam bonam et rectam.

Ant. 9 Ego deprecábor Dóminum, * et ad Deum ponam elóquium meum : qui facit magna et inscrutabília, et mirabília absque número.

℣. Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus. ℟. Psállite nómini eius, quóniam suáve.

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 18, 1-4

In illo témpore : Accesérunt discípuli ad Iesum, dicéntes : Quis, putas, maior est in regno cælórum? Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ

Sermo 37, alias 36, in Epiph. solemn., 7, cap. 3-4

Nota, dilectíssimi, christiánæ sapiéntiæ disciplína, non in abundántia verbi, non in astútia disputándi, neque in appetítu laudis et glóriæ, sed in vera et voluntária humilitáte consístit, quam Dóminus Iesus Christus ab útero matris usque ad supplícium crucis pro omni fortitúdine et elégit et dócuit. Nam, cum discípuli eius inter se, ut ait Evangelísta, disquírerent quis eórum maior esset in regno cælórum, vocávit párvulum, et státuit eum in médio eórum, et dixit : Amen dico vobis, nisi convérsi fuéritis et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut puer iste, hic maior erit in regno cælórum. Amat Christus infántiam, quam primum et ánimo suscépit et córpore. Amat Christus infántiam, humilitá-

tis magístram, innocéntiæ régulam, mansuetúdinis formam. Amat Christus infántiam, ad quam maiórum dírigit mores, ad quam senum redúcit ætátes; et eos ad suum inclínat exémplum, quos ad regnum sublímat ætérnum. ℟. Dómine, super senes intelléxi : quia lucérna pédibus meis verbum tuum, et lumen sémitis meis : * Declarátio sermónum tuórum illúminat, et intelléctum dat párvulis. ℣. Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitátem díligas. Declarátio. Bened. Cuius festum.

Lectio viii

Ut autem plene valeámus agnóscere quómodo apprehéndi possit tam mira convérsio et in puerílem gradum qua nobis mutatióne redeúndum sit, dóceat nos beátus Paulus, et dicat : Nolíte púeri éffici sénsibus, sed malítia párvuli estóte. Non ergo ad lúdicra infántiæ et imperfécta nobis primórdia reverténdum est, sed áliquid, quod étiam graves annos déceat, inde suméndum, ut velox sit commotiónum tránsitus, citus ad pacem recúrsus : nulla sit memória offensiónis, nulla cupiditas dignitátis; amor sóciæ communiónis, æquálitas naturális. Magnum enim bonum est nocére non nosse et malígna non sápere; quia inférre ac referre iniúriam, mundi huius prudéntia est; némini autem malum pro malo réddere christiánæ est æquanimitátis infántia. ℟. Suscípiat ánima vestra disciplínam, in próximo est enim invenire eam : * Vidéte óculis vestris, quia módicum laborávi, et invéni mihi multam réquiem. ℣. Operámini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercédem vestram in témpore suo. Vidéte. Glória Patri. Vidéte.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Ad hanc vos, dilectíssimi, similitúdinem parvulórum mystérium hodiérnæ festivitátis invítat; et hanc vobis humilitátis formam adorátus a Magis puer Salvátor insínuat : qui, ut imitatóribus suis quid glóriæ paráret, ostenderet, ortus sui témpore éditos martýrio consecrávit; ut in Béthlehem,

ubi Christus natus est, géniti, per communiónem ætátis consórtes fíerent passiónis. Amétur ígitur humílitas, et omnis a fidélibus vitétur elátio. Alter álterum sibi præferat, et nemo quod suum est quærat, sed quod altérius ut, cum in ómnibus abundáverit afféctus benevoléntiæ, in nullo virus inveniátur invídiæ; quóniam qui se exáltat, humiliábitur, et qui se humíliat, exaltábitur, eódem ipso testánte Dómino nostro Iesu Christo, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculórum. Amen.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. 1 Benedícta tu * a Deo tuo, quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël.

Psalmi de dominica.

2 Dóminus elégit te, * ut sis ei : et fáciat te in laudem, et nomen, et glóriam suam.

3 Eris coróna glóriæ * in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui : quia complácuit Dómino in te.

4 Dóminus fáciet tecum* misericórdiam, et veritátem, quia ostendísti grátiam et fidem.

5 Erúmpet quasi mane * lumen tuum, et anteíbit fáciem tuam iustítia tua, et glória Dómini cólliget te.

Capit. Is. 66, 12

HÆC dicit Dóminus : Ecce ego declinábo super eam quasi flúvium pacis, et quasi torréntem inundántem, glóriam géntium, quam sugétis : ad úbera portabímini, et super génua blandiéntur vobis.

Hymnus

IMMÉNSA Christi cáritas
Maióra cogit ággredi
Apostolórum et Mártyrum
Auctam coróna vírginem.
Optans amóris víctima
Ex igne adúri mýstico,
Sponsum precátur últimas
Flammas vorántes éxcitet.
Æternitátis núntia
Optáta mors iam pérvenit:
Hæc íngemens : Te díligo!
Terésia ad Christum émigrat.
Cæléstibus nunc gáudiis
Fruens, ab arce síderum,
Quas lárgiter promíseras,

Rosas meménto spárgere.
Tu, corde Rex mitíssime,
Qui párvulis regnum paras,
Nos hanc secútos íngredi
Præsta beáta límina.
Iesu, tibi sit glória,
Qui te revélas párvulis,
Cum Patre et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam. ℟. Et Deus tuus in glóriam tuam.

Ad Bened. ant. Réquiem tibi dabit * Dóminus semper, et implébit splendóribus ánimam tuam; et eris quasi hortus irríguus, et sicut fons aquárum, cuius non defícient aquæ.

Oratio

DÓMINE, qui dixísti : Nisi efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum : da nobis, quæsumus, ita sanctæ Terésiæ Vírginis in humilitáte et simplicitáte cordis vestígia sectári; ut prǽmia consequámur ætérna : Qui vivis.

Ad Horas minores ant. et pss. de feria currenti.

AD TERTIAM

Capit. Hæc dicit Dóminus, ut supra 30

℟. br. Exsultábo et lætábor, Dómine, * In misericórdia tua. Exsultábo. ℣. Quóniam respexísti humilitátem meam. In. Glória Patri. Exsultábo.

℣. Anima mea exsultábit in Dómino. ℟. Et delectábitur super salutári suo.

AD SEXTAM

Capit. Is. 66, 13

QUÓMODO si cui mater blandiátur, ita ego consolábor vos, et in Ierúsalem consolabímini.

℟. br. Anima mea * Exsultábit in Dómino. Anima mea. ℣. Et delectábitur super salutári suo. Exsultábit. Glória. Anima mea. ℣. Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus. ℟. Psállite nómini eius, quóniam suáve.

AD NONAM

Capit. Is. 66, 14

VIDÉBITIS, et gaudébit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinábunt; et cognoscétur manus Dómini servis eius.

℟. br. Laudáte Dóminum, * Quia bonus Dóminus. Laudáte. ℣. Psállite nómini eius, quóniam suáve. Quia. Glória Patri. Laudáte.

℣. Dóminus facit mirabília magna solus. ℟. Quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Oratio

DÓMINE, qui dixísti : Nisi efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum : da nobis, quæsumus, ita sanctæ Terésiæ Vírginis in humilitáte et simplicitáte cordis vestígia sectári; ut prǽmia consequámur ætérna : Qui vivis et regnas.

AD VESPERAS

Ant. et capit. de Laud. 30; psalmi ut in Communi festorum B. Mariæ Virg.

Hymnus

LUCE divína rutilántis aulæ
Sédibus, virgo, frúeris, secúndans
Vota, promísso réfoves precántes
Imbre rosárum.

Sint rosæ nobis fídei supérnæ
Lumen affúlgens, columénque rebus
Spes in advérsis, et amóris almi
Vívida virtus.

Sint rosæ nobis tuus ille fidens
Candor infántis Dómino, patérno
Grata qui prǽbet vel acérba nostræ
Númine vitæ.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati paritérque Sancti
Spíritus, cuius résonat per omnem
Glória mundum. Amen.

℣. Manus Dómini confortávit te.
℟. Et ídeo eris benedícta in ætérnum.

Ad Magnif. ant. Benedíctus Dóminus, * quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum. Oratio Dómine, ut supra.

DIE 9 OCTOBRIS

Ss. DIONYSII Ep., RUSTICI et ELEUTHERII

MARTYRUM

III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

DIONÝSIUS epíscopus, qui a Petri apóstoli successóribus verbi divini sémina erogánda suscéperat, Parísios Dómino ducénte pervénit. Tantas per illum Dóminus dignabátur exercére virtútes, ut rebéllium corda gentílium non minus miráculis quam prædicatióne obtinéret, qui iugum Christi suáve impóni sibi, acti compunctióne, poscébant. Persecutiónis vero publicáta senténtia, impiórum gaudens turba contra domínicum pópulum pugnatúra conspírat. Itaque sanctum Dionýsium contra incrédulos dimicántem Parísiis reperérunt, quocum simul Rústicum et Eleuthérium persecutiónis furor invénit. In fídei pertinácia permanéntes, reddéntes terræ córpora, beátas cælo ánimas intulérunt. Ad Mártyrum límina concurrénte frequéntia peregrinórum, mox domni Dionýsii basílica habéri cæpit inter loca Sanctórum Gálliæ clarióra.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

DEUS, qui hodiérna die beátum Dionýsium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborásti; quique illi ad prædicándum géntibus glóriam tuam, Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es : tríbue nobis, quæsumus, eórum imitatióne, pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla eius advérsa formidáre. Per Dóminum.

Et fit com. S. Ioannis Leonardi :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

DEUS qui beátum Ioánnem Confessórem tuum ad fidem in géntibus propagándam mirabíliter excitáre dignátus es, ac per eum in erudiéndis fidélibus novam in Eccléśia tua famíliam congregásti : da nobis fámulis tuis; ita eius institútis profícere, ut prǽmia consequámur ætérna. Per Dñm.

AD VESPERAS

℣. Exsultábunt, ut supra. Ad Magnif. ant. Gaudent in cælis * ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et quia pro eius amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

Oratio

DEUS, qui hodiérna die beátum Dionýsium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborásti; quique illi ad prædicándum géntibus glóriam tuam, Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es : tríbue nobis, quǽsumus, eórum imitatióne, pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla eius advérsa formidáre. Per Dóminum.

DIE 12 OCTOBRIS

SANCTI SAVINI

CONFESSORIS

III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Ex antiquiori Breviario monasterii S. Savini, Bibl. Tolos., ms 70

Lectio iii

SAVÍNUS, secretióris solitúdinis cúpidus, gressus suos diréxit versus Pyrenæos montes, ubi per trédecim círciter annos, iuxta Levitániam vallem, in remotióri loco qui vulgo Pouey Aspé dícitur, vitam duxit eremíticam, die noctúque in Dei láudibus pérmanens. Tandem, méritis miraculísque clarus, ad Dóminum felíciter migrávit. Eius corpus summo cum honóre sepúltum est in célebri monastério quod in Palátio Æmiliáno cónditum erat et póstea sancti Savíni nómine insignítum est. Pie cólitur, nostris adhuc diébus, strénuus Christi athléta, sive ut mundi contémptor et altíssimæ contemplatiónis exémplar, sive ut circumvicínæ regiónis vígilans custos. Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei. Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

ADÉSTO, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti Savíni Confessóris tui solemnitáte deférimus : ut, qui nostræ iustítiæ fidúciam non habémus, eius, qui tibi plácuit, précibus adiuvémur. Per Dóminum.

AD VESPERAS

℣. Iustum, ut supra. Ad Magnif. ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Oratio Adésto, ut supra.

DIE 16 OCTOBRIS

SANCTI BERTRANDI

EP. ET CONF.

III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

SANCTUS Bertrándus, clarus génere sed nobílior fide, virtútibus refúlsit. Cum attigísset iuvenílis robur ætátis, militáribus armis est decorátus, sed non gloriabátur in pulchritúdine córporis aut róbore vírium, cum et ipse formósus esset atque robústus. Servítio Dei mancipátus, factus est canónicus Sancti Stéphani et Sedis Tolosánæ archidiáconus. Convenárum cathedrális ecclésia suo viduáta pastóre ipsum éligit in epíscopum, qui néminem prece pretióve tentáverat ut altióris dignitátis culmen attíngeret. Dedit ígitur veheméntius óperam ut ecclésia in altum consúrgeret. Circa ecclésiam claustrum constrúxit quantum permísit loci illíus angústia, impediénte præcipítio rúpium. Ibidem canónicos instítuit qui sub régula sancti Augustíni ecclesiásticis manciparéntur obséquiis. Morbum incúrrens fébrilem, fecit se deférri ad cathedrálem ecclésiam, in oratórium ante altáre beátæ Vírginis, ubi vir sanctus post consolatiónem discipulórum et episcopálem benedictiónem eísdem exhíbitam, diem clausit extrémum décimo

séptimo caléndas novémbris.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Bertrándi Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Et fit com. S. Hedwigis Viduæ :

Ant. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera eius.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

DEUS, qui beátam Hedwígem a sæculi pompa ad húmilem tuæ crucis sequélam toto corde transíre docuísti : concéde; ut eius méritis et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ crucis ómnia nobis adversántia superáre : Qui vivis.

AD VESPERAS

℣. Iustum dedúxit, ut supra.

Ad Magnif. ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Oratio Da, quæsumus.

FESTA NOVEMBRIS

DIE 6 NOVEMBRIS

In Ecclesiis consecratis, quando huius consecrationis dies non est certa et nota :

DEDICATIO PROPRIÆ ECCLESIÆ

I classis

Officium de Communi Dedicationis Ecclesiæ.

DIE 20 NOVEMBRIS

DEDICATIO ECCLESIÆ CATHEDRALIS

I classis

Officium de Communi Dedicationis Ecclesiæ.

INDEX ALPHABETICUS

Bertrandi Ep. et Conf. (16 *oct.*) 35
Clotildis Reginæ, Viduæ (3 *iunii*) 16
Dedicationis propriæ Eccl. (6 *nov.*) 36
— Eccl. Cathedr. (20 *nov.*). 36
Dionysii Ep. et Soc. Mm. (9 *oct.*). 33
Exuperii Ep. et Conf. (28 *sept.*). 21
Ioannæ de Arc Virg. (30 *maii*) 7
Ioannis Mariæ Vianney Conf. (8 *aug.*). 19
Licerii Ep. et Conf. (27 *aug.*). 20
Mariæ Virg. Nativitatis (8 *sept.*) 20
Misselini Conf. (24 *maii*) 7
Remigii Ep. et Conf. (1 *oct.*) 22
Rochi Conf. (16 *aug.*) 19
Severi Russitani Conf. (1 *aug.*) 18
Savini Conf. (12 *oct.*) 34
Teresiæ a Iesu Infante Virg. (3 *oct.*). 23

IMPRIMÉ EN FRANCE PRINTED IN FRANCE

2878-1962. — Turonibus, typis Mame.
Dépôt légal : 4e trimestre 1962.